



VI
9.37.024
g



SYNODUS DIOECESANA
LABACENSIS

1903





SYNODUS DIOECESANA LABACENSIS

QUAM

DIEBUS 31. MENSIS AUGUSTI 1. 2. 3. 4. MENSIS

SEPTEMBRIS 1903

HABUIT

ANTONIUS BONAVENTURA JEGLIČ

EPISCOPUS LABACENSIS.



LABACI.

SUMPTIBUS ORDINARIATUS.

TYPIS TYPOGRAPHIAE CATHOLICAE.

1903.

VIII 9, 37.024 19



IN=030007713

Indictio Synodi dioecesanæ.

Antonius Bonaventura

Dei miseratione et apostolicæ Sedis gratia

episcopus Labacensis

*Venerabili ac dilecto Clero salutem et benedictionem a
Domino.*

Ex quo, suspirantes patrocinium B. M. V., ac freti auxilio Regis et Salvatoris Jesu Christi, cujus amantissimo ac divinissimo Cordi nosmetipsos simul cum tota dioecesi dedicavimus, arduum dioecesis Labacensis regimen suscepimus, nihil omittere studebamus eorum, quæ ad fovendam Cleri unitatem inter se ac nobiscum promovendamque in eo disciplinam et vitam sacerdotalem facere videbantur, quæque ad extirpanda vitia populi et removenda pericula fidei ac morum conducere possent.

Sed his non contenti altiora desideramus, quo firmitus stabiliantur humiles nostri conatus et, posito fundamento certo, aedificium vitæ christianæ, qualem Deus ac Dominus noster ab omnibus requirit, efficacius tueri perficereque valeamus: In mente habemus Synodum dioecesanam.

Synodorum usus in Ecclesia antiquissimus reperitur, licet non præcise semper ea servata forma, quæ nunc temporis in Pontificali romano præscribitur. Primis Ecclesiæ sæculis, cum sævæ paganismi persecutiones in eam furerent, sine gravi periculo neque episcopi semet invicem invisere et coadunare poterant, multo adhuc difficilius eis erat, clerum dioeceseos ad negotia sacra pertractanda in unum

colligere. Quo tamen non obstante caute instituebantur conventus ecclesiastici, ubi pastores animarum cum Antistite tum sua, tum quae gregis erant, collatis consiliis deliberabant, ut Synodi dioecesanæ summa antiquitate praestare dici queant.

Et praecipua quidem Synodorum cura ab initio fuisse videtur sedandi lites atque iurgia, dirimendi causas, quas sive clerici inter se, sive cum laicis auctoritate ecclesiastica dimetiendas putabant. Unde merito credimus, Synodos dioecesanæ primitus quasdam curias iudiciales fuisse, ubi sine strepitu et procul a calliditatibus fori lites primum omnes clericorum sedarentur, ac tum etiam laicorum, qui huiusmodi iudiciis acquiescerent.

Verum quamvis hoc Synodorum genus imaginem tribunalium praesetulisse videatur, magna tamen aestimatione habendae sunt; nam omnia per eas in caritate, sancteque perficiebantur. Clericorum quidem et laicorum ibi lites dirimebantur, sed in templo, sed ad aras, sed ad sacra martyrum pignora sine strepitu, sine forma iudicii, sine ambage, ex evangelicarum canonicarumque legum sanctimonia, iudiciis caritatem pacemque christianam spirantibus, ad expiandas conscientiae sordes, ad inserendas virtutes, ad errores evellendos, ad vitiorum fibras elidendas, solis illis poenas daturis, qui peccare quidem possunt, resipiscere vero nolunt. 1)

Medio aevo usum Synodorum sic invaluisse, ut in pluribus dioecesibus bis in anno celebrarentur, historia testatur. At demum Concilium Lateranense IV. pro universali Ecclesia legem tulit, ut Synodi dioecesanæ quotannis ab episcopis cogerentur, 2) quam legem Concilium Tridentinum 3) renovavit verbis: „Synodi quoque dioecesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam adnexarum, debeant ii, qui earum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.“

1) Thomassinus, *Vetus et nova eccles. discipl.* P. II. l. III. c. 75, 4.

2) Lat. IV. Cap. Sicut olim de accusat.

3) Sess. XXIV. cp. 2. de reformatione.

Non obstante hoc decreto Synodi hominum ignavia et temporum iniuria haud raro negligebantur, quapropter iam saeculo XVII. Alexander VII. in Constitutione ¹⁾ ad episcopos Italiae et insularum adiacentium data illud inculcat: „Persuasissimum Vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione Synodorumque celebratione populorum saluti ac veteri disciplinae constituendae . . . accomodatius esse, quo intermisso magna in moribus continuo ad omnem improbitatem ac peccandi licentiam facta est immutatio.“

Patres vero Concilii Coloniensis a. 1549 decreverunt, ut in singulis dioecesibus bis in anno Synodi haberentur, quarum extollentes utilitatem sequentia proferunt: „In Synodis redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando; ubi ea, quae in visitatione mandabantur exequi, executionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite et membris, de fide et pietate, de religione et cultu divino, de moribus et disciplina, de judiciis et rebus omnibus ad bene, ad christiane vivendum commodis vel necessariis tractatur, atque statuitur, ut verissime . . . dicatur: salus Ecclesiae, terror hostium eius et fidei catholicae stabilimentum sunt Synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiae nervos dixerimus. Neglectis enim Synodis, non aliter ecclesiasticus ordo diffluit, quam si corpus humanum nervis solvatur.“ ²⁾

Ex quibus luculentissime patet, gravem esse obligationem dioecesanarum collationes celebrandi iuxta praescriptum Concilii Tridentini, et licet huius observantia ubique fere in desuetudinem abierit, non inde facile invocari potest consuetudo in re tanti momenti maximaeque utilitatis, eo vel minus, quod suprema Sedes Apostolica per suas Congregationes non destitit episcopis inculcare, ut Synodos cessantibus impedimentis celebrare non abnuant.

Synodi dioecesanae imprimis saeculo XVIII. et XIX. praevalentibus fere ubique liberalis Absolutismi principiis in desuetudinem venerunt. Recentioribus autem temporibus, cum tot errores sparguntur, tot vitia pullulant, tot procellae

¹⁾ Inter cetera 26. Mai a. 1656.

²⁾ Manacorda, Specimen juris et disc. eccl. I. pag. 96.

naviculam Petri agitant, plures Austriae, Italiae, Galliae, Germaniae episcopi, optatis Pii IX. et Leonis XIII. satisfaciētes, Synodos non sine magno fructu celebrarunt.¹⁾

In dioecesi Labacensi ultimae Synodi ad finem saeculi XVIII. celebratae sunt et quidem in ecclesia cathedrali S. Nicolai die 20. junii a. 1774, dein in loco Gornji Grad die 18. julii a. 1778 utraque ab episcopo Carolo comite de Herberstein coacta. Damna ob defectum Synodorum per Ordinarios diocesum aliis remediis resarciri studebantur, scilicet visitatione canonica, deputatione decanorum, sacris exercitiis et missionibus, nec non publicationibus decretorum in folio diocesano.

Prouti vos non latet, nos ipsi insistentes praeprimis vestigiis nostri eminentissimi Praedecessoris, haec remedia adhibenda in dies magis urgebamus, eo quod propriis oculis intuebamur aperta varia pericula fidei et morum, quemadmodum ista in dioecesi Labacensi furente ore et calamo suscitata in dies magis succreverint. Ad elidenda conamina falsorum prophetarum, qui lupi in ovina pelle populum dilacerare anhelant, ad nova quoque remedia confugimus. Quorsum pertinent: reformatio folii dioecesani, conventus annui decanorum in nostris aedibus residentialibus, frequentiores conferentiae Sodalitatis sacerdotum, promotio cultus Ss. Cordis Jesu, congregationes Marianae, favor exhibitus variis associationibus opificum, agricolarum et juvenum, nec non divisio dioecesis in archidiaconatus. Conamina nostra, Deo sint laudes! opitulante beatissima Virgine, vobisque fortiter et assidue laborantibus, non manserunt absque fructu.

Nunc vero, canonica totius dioecesis visitatione die 8. julii h. a. prima vice completa, operi coronidem imposituri, potestate nostra ordinaria, atque requisita sententia Capituli ecclesiae cathedralis, in honorem B. V. Mariae, S. Joseph, eius sponsi et dioecesis nostrae patroni, atque S. Nicolai, titularis ecclesiae cathedralis, omniumque Sanctorum,

¹⁾ Cfr. Acta et Statuta synodi Premisliensis a. 1902, pg. 9; Actiones et constitutiones synodi Lavantinae a. 1900, pg. 5. sqq.

Synodum dioecesanam

diebus 1. 2. 3. septembris huius anni celebrandam indicimus Labaci in ecclesia cathedrali secundum ordinem, qui iusto tempore denuntiabitur.

Quod attinet eos, qui adesse tenentur, quoniam in Synodo agetur de rebus ad universum clerum spectantibus utique summopere desideraremus, ut omnes et singuli, si fieri posset, e clero nostro dioecesano ad Synodum convolarent. Cum autem hoc desiderium impleri non possit, ad Synodum

1. vocamus et canonice requirimus: Nostrum Vicarium generalem, omnes decanos atque parochos, dein vicarios, curatos, expositos et capellanos animarum curam independenter exercentes, administratores parochiarum sive saeculares, sive regulares, beneficiatos cum cura vel sine cura animarum.

Cunctos hos solemniter et publice advocamus atque interesse sub gravi iubemus. Si autem horum quispiam iusto impedimento se retentum iudicaverit, excusationis legitimae causam opportuno tempore ad Synodum (iudicibus querelarum) deferendam ac probandam esse sciverit.

2. Instante invitamus capitulum nostrum cathedrale, ut in corpore appareat, abbatem Sitticiensem et praepositum capituli Rudolfswerthensis, capitulum collegiatum Rudolfswerthense, ut saltem per duos deputatos adsit, deinde P. provincialem FF. M. S. Francisci, omnesque superiores vel priores regularium, directores seminarii puerorum et clericorum, omnes professores et doctores sacrae theologiae, institutionis religiosae professores c. r. gymnasii Labacensis, Rudolfswerthensis, Kranjensis et Gottschevensis, c. r. scholae realis Labacensis et Idriensis nec non c. r. paedagogii et catechetas scholarum elementarium.

3. Cooperatores quod attinet, eos quoque invitamus; ast, quia ob curam animarum exercendam propter absentiam parochorum hi omnes venire non possunt, invitamus ex quolibet decanatu illos, de quibus decanus iudicaverit, quod

absque spirituali damno fidelium per quatuor dies absentes esse possint.

Parochos, qui cooperatores non habeant, monemus, ut antequam e parochiis discedant, graviter decumbentibus sancta Sacramenta administrent populumque edoceant, ubi in casu necessitatis provisio infirmorum petenda sit.

Quia in Synodo dioecesana omnes synoditae spiritu renouentur oportet, iuxta praescripta Ecclesiae curavimus, ut Synodo exercitia spiritualia coniungantur cum communione generali in ultima sessione; simul indulgentias plenarias cum pro clero tum pro populo a summo Pontifice obtinendas iusto tempore publicabimus.

Ut autem opus, quod aggredimur, tum clero, tum populo sit salutare, benedictionem divinam ardentem imploremus! Quapropter a publicatione huius edicti usque ad finem Synodi omnes dioecesis nostrae sacerdotes Missae inserant orationem de Spiritu Sancto rubricis id permittentibus; praeterea Dominica ultima mensis Augusti, quae est XIII. post Pentecosten, in omnibus ecclesiis curatis Sanctissimum per mediam horam publicae adorationi exponatur, illoque exposito Litaniae omnium Sanctorum recitentur, prius vero fidelibus exponatur, quoniam sit Synodi finis et quae ejusdem gravitas et utilitas. Postremo die 31. Augusti ad vesperum in omnibus praedictis ecclesiis campanae saltem per quartam horae partem pulsantur.

Ordinem Synodi, materiae pertractandae capita et si quae adhuc circa futuram Synodum advertenda forent, idoneo tempore significabuntur. Interim, fratres dilectissimi, valete! Deus spei repleat Vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti. In omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen!

Datum Labaci in festo S. Bonaventurae die 14. Julii 1903.

† *Antonius Bonaventura,*
Episcopus.

Rerum gestarum

brevis

Relatio.

I.

Quae acta sunt ante Synodum.

Jam in litteris datis ad Clerum Kalendis Januariis, festo Circumcisionis Domini, Celsissimus ac Reverendissimus Princeps-Episcopus indicavit esse sibi in animo Synodum dioecesanam hoc anno celebrare.¹⁾ Grave opus strenue aggressus, Synodum die 31. mensis Augusti, 1. 2. 3. 4. mensis Septembris habendam sollemniter indixit pridie Idus Julias, festo S. Bonaventurae Episcopi et Ecclesiae Doctoris.²⁾

Ex eo tempore omnes sacerdotes, secundum mandatum Ill^{mi} Antistitis in Sacrificio Missae implorabant auxilium divinum, quo Spiritus Sanctus omnes actiones ad Synodum spectantes aspirando praeveniret et adjuvando prosegueretur; Dominica vero ultima mensis Augusti, quae fuit XIII. post Pentecosten, in omnibus ecclesiis curatis, postquam animarum pastores populum christianum edocuerunt, qui esset Synodi finis, quae eius utilitas atque gravitas, per mediam horam expositum fuit Sanctissimum Sacramentum et recitatae sunt Litaniae Omnium Sanctorum.

Quorum fuit in Congregationibus particularibus exponere Constitutiones Synodales, iusto tempore acceperant res in Synodo pertractandas, ut singula capita accurate examinare et deliberare possent.

Ordo Synodi, die 21. mensis Julii in folio dioecetano nuntiatus,³⁾ ut omnibus Synoditis ad manum esset, una cum Orationibus in Congregationibus et Sessionibus Synodi ex more dicendis, in libello typis descripto editus est.⁴⁾

¹⁾ Cf. Ljubljanski škofijski list, 1903, pg. 11.

²⁾ o. c. pg. 71.

³⁾ o. c. pg. 76.

⁴⁾ Red in opravila prve ljubljanske škofijske sinode, sklicane za čas od 31. avgusta do 4. septembra 1903. Ukazal natisniti prevzvišeni in premilostni gospod gospod Anton Bonaventura, knezoškof ljubljanski. V Ljubljani 1903. Založil knezoškofijski ordinarijat ljubljanski.

II.

Acta primae Congregationis generalis.

Om nibus praeparatis, quae ad rem tanti momenti faciunt, Synodus dioeciesana feria II. post Dominicam XIII. a Pentecoste, pridie Kalendas Septembres celebrari coepta est.

Instante hora quinta pomeridiana Sacerdotes, praeter opinionem frequentes, congregati sunt in ecclesiam cathedralem S^{ti} Nicolai et occupaverunt locum in subselliis, quem cuique pro sua dignitate Magister Caeremoniarum assignavit. Capitulum ecclesiae cathedralis se contulit in aedes episcopales, unde, Acolythis cum Cruce praecedentibus, R^{mum} et Ill^{mum} Principem-Episcopum deduxit ad templum S^{ti} Nicolai. In ingressu recitabantur Psalmi 14. 45. 50; ubi autem ad altare maius perventum est, chorus incepit Antiphonam „Salve Regina“, qua terminata R^{mus} Antistes dixit Versiculum et Orationem convenientem.

Exinde R^{mus} Episcopus induit pluviale rubri coloris et, exposito SS^{mo} Sacramento, incepit Hymnum „Veni Creator Spiritus“. Schola cantorum hymnum prosecuta est et terminavit, quo facto, Antistes dixit Versiculum cum Oratione; cantato a Schola „Tantum ergo“ et „Genitori“, Ill^{mus} Princeps-Episcopus dedit benedictionem.

Postquam S^{mum} Sacramentum iterum in tabernaculum inclusum est, Antistes deposuit vestes sacras et ascendit ambonem, ut haberet primam allocutionem ad Synodales.

Allocutio saluatoria,

*quam Celsissimus ac Reverendissimus **Princeps-Episcopus Antonius Bonaventura** habuit in prima Congregatione generali, die 31. Augusti.*

Laudetur Jesus Christus!

In Christo dilecti cooperatores mei in vinea Domini!

Quod a longo tempore multum desiderabam, nunc adimpletum video. Video enim vos, fratres meos carissimos et desideratissimos, gaudium meum et coronam meam¹⁾

¹⁾ Cf. Phil. 4, 1.

coadunatos mecum in magnifica hac ecclesia cathedrali, coadunatos atque coniunctos vinculo fraternitatis in facie Ipsi Domini Nostri Jesu Christi vere, realiter et substantialiter praesentis in SS. altaris Sacramento, coadunatos, ut obsecundantes monitis S. Matris Ecclesiae, nec non ducti desiderio cordium nostrorum, opus perficiamus pergrande, opus sc. sanctificationis nostrae atque fidelium, qui curae nostrae sunt commissi.

1. Sancta Mater Ecclesia, imbuta et ducta Spiritu Sancto, inde a primis temporibus nunquam cessavit episcopos admonere, immo compellere, ut sacerdotes suos saepius convocent atque negotia curae pastoralis cum illis pertractent. Historia docet conventus episcopi cum sacerdotibus ad defendendam fidem, ad restaurandam collapsam disciplinam atque ad promovendam vitam christianam revera permultum contulisse. Quapropter nostris quoque temporibus, quae mari a procellis vehementissimis agitato haud immerito comparantur, Summi Pontifices, v. g. Pius Pp. IX., Leo Pp. XIII., non una vice tantum episcopos orbis catholici ad Synodos congregandas instanter invitabant.

2. Cum autem ego obediens voci S. Matris Ecclesiae Vos omnes ad Synodum dioecesanam, qualis in nostra dioecesi inde a 125 annis convocata non fuit, congregaverim, spero, me Vestris quoque desideriis satisfacisse. Magno cum gaudio enim observabam conferentias pastorales, ad quas omnes fere ad illas obligati convolare soletis, observabam conferentias Sodalitatis a SS. Corde Jesu, quae cum tanto fructu singulis fere mensibus in singulis decanatibus celebrantur, observabam conferentias decanorum, quas statim ab exordio mei muneris ordinavi et de quibus dixi eas quasi scholam esse atque praeparationem ad Synodum dioecesanam, observabam, dico, has conferentias et ex frequentatione earum nec non ex ferventi disceptatione de quaestionibus propositis conclusi, me secundum vota omnium Vestrum facturum, si maiorem adhuc conventum, prout est Synodus dioecesana, convocem.

Insuper experientia edocti sumus, adversarios Christi eiusque regni super terram, corruptores atque seductores populi nostri repelli non posse nisi unanimi conformi actione omnium nostrum. Nonne nonnisi tali unanimi actione omnia inimicorum nominis Christi conamina, licet vehementia ac quasi desperata, irrita reddidimus ac frustranea? Qua necessitate actionis unanimis et conformis perspecta multi ex Vobis desiderabant, ut singulae ordinationes Episcopi, sparsae in folio dioecesano, in unum collectae ederentur. Haec desideria omnino iusta sunt. Et ecce, Synodus dioecesana prae ceteris mediis apta est, ut iis satisficiat. Nam omnes et singulae ordinationes a me, vel a meis antecessoribus emanatae in Synodo pertractabuntur, indigentis et necessitatibus temporis nostri conformabuntur, perficientur atque publicabuntur. Quo negotio absoluto omnes et singuli prae manibus semper habebitis normam pro conformi vestra actione cum privata tum publica, cum in ecclesia tum extra illam in variis coetibus popularibus.

3. Convocatione ergo Synodi vota complevi S. Matris Ecclesiae atque vota omnium nostrum. Ast Synodus nostra conferre quoque debet ad promovendum pergrande opus sanctificationis nostrae atque populi fidelis nobis commissi.

Vocati ad sacerdotium vocati quoque sumus ad veram sanctitatem, ad culmen perfectionis christianae. Praecipue sacerdotibus dictum est: „Estote perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est.“¹⁾ Jam ab antiqui foederis sacerdotibus postulavit Deus: „Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen eius.“²⁾ Quapropter Apostolus gentium serio nos admonet dicens: „Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.“³⁾

Obligatio ergo ad maiorem perfectionem ex ministerio nostro deducitur. Ideo docet s. Joannes Chrysostomus: „Medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam,

¹⁾ Matth. 5, 48.

²⁾ Lev. 21, 6.

³⁾ 2. Cor. 6, 3.

Dominum iratum reconcilians et illinc beneficia ad nos deferens“, unde S. Thomas concludit: „Qui sunt medii inter Deum et plebem, debent bona conscientia nitere quoad Deum et bona fama quoad homines.“ Concilium vero Tridentinum monet: „Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum et divinum tractari posse quam hoc ipsum tremendum (SS. Eucharistiae) mysterium . . . : satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate . . . peragatur.“¹⁾

Nonne opus pergrande est opus sanctificationis nostrae? Synodus vero hanc sanctitatem promovere intendit et quidem duplici via. Primo variis piis meditationibus, quem ob finem R. P. Nilles S. J. licet iam grandaevus nihilominus iter longum et arduum suscipere haud recusavit, sed plenus intrinseci gaudii ad nos convolvavit; secundo variis Constitutionibus de educatione, vita privata et pastorali Cleri dioecesis Labacensis, unde omnes edocebimur, quid agendum sit quidve cavendum: ut revera simus id, quod Christus dixit: „Vos estis sal terrae; vos estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.“²⁾ Quis nostrum non desideret, ut huic suae sublimi vocationi adimplendae in dies aptior efficiatur?

4. Ast non solummodo nostram, sed etiam sanctificationem populi Synodus promoveat oportet. Quomodo? Nos sacerdotes edocebimur, quid praeter propriam sanctificationem nobis agendum sit, ut pericula fidei et morum, quae nostro populo undequaque imminet, ab illo avertantur; nos sacerdotes edocebimur, quid agendum sit, ut noster populus peccata perhorrescat, pericula peccatorum fugiat, virtutes christianas exerceat atque Deo et Christo fidelis maneat ac devotus. Synodus enim nostra omnibus sacerdotibus suadebit vel etiam stricte mandabit media necessaria

¹⁾ Sess. 22. Decret. de observandis et evitandis in celebratione Missae.

²⁾ Matth. 5, 12—16.

vel saltem proficua, ut populus noster vitam suam domesticam, sociale, nationale et politicam instituat conformem immutabilibus veritatibus sancti Evangelii ab ipso Domino et Deo nostro revelati atque per Ecclesiam nobis publicati.

Nonne talis praeparatio et institutio ad sanctificandum populum opus est pergrande atque sublime? Quem in finem ipse Dominus Jesus „semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus“? ¹⁾ Nonne, ut saluum faceret populum suum a peccatis eorum? ²⁾ Quis capere potest, quanti pretii sit anima, pro qua redimenda Dei Filius homo factus, vitam ponere totumque pretiosissimum suum sanguinem perfundere non dubitavit! anima, pro qua ipse Deus „se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium“? ³⁾ Et salus animae tam pretiosae posita est in manibus nostris! Absque operatione nostra animae non salvabuntur, sed peribunt, divinum opus redemptionis erit frustraneum. Quanti momenti ergo est haec Synodus, qua futurum est, ut nos omnes ad tantum, tam divinum opus peragendum aptiores atque habiliores efficiamur!

5. Constitutiones necessarias simul et instructiones, quibus illarum ratio redditur, composui nec non per diversa capita disposui. Proh dolor, quod impeditus fuerim, quominus eas conferentiis pastoralibus deliberandas discutendasque proponerem! Attamen saltem Capitulo meo cathedrali mittere illas potui diiudicandas; iusto quoque tempore concessum mihi fuit seligere referentes materiamque tractandam in manus illis dare. Nunc vero curam hahebo, ne Sessiones sollemnes atque Congregationes generales nimis protrahantur, sed tempus sufficiens pro Congregationibus particularibus obtineatur. Rogo, ut in istis Congregationibus omnes et singuli libere dicant, quid sentiant, quidve desiderent; paratus sum vota non solum audire, sed etiam adimplere, si fundamento non carebunt atque si infra limites

¹⁾ Phil. 2, 7.

²⁾ Cf. Matth. 1, 21.

³⁾ Hymn. „Verbum supernum“.

materiae ad deliberandum propositae versabuntur. Materialium autem illam selegi partem, quae hic et nunc prae ceteris necessaria mihi videbatur; reliquam vero partem, quae quidem maximi est momenti, attamen cum vita quotidiana tum Cleri cum populi non tam intime coniuncta, ad secundam amandavi Synodum.

6. Procuratores quoque Cleri denominavi, et quidem tres decanos, quos, prouti audiui, Clerus omnis veneratur, quique merentur, ut omnes illis confidant. Summopere desidero, ut singuli sacerdotes absque ullo timore querelas suas, vota atque desideria sua mediantibus procuratoribus in Synodo proferant. Quidam e sacerdotibus nuper mihi scripsit, me veritatem audire nolle et quod permultae res dioecesanæ melius procederent, si ego hoc defectu non laborarem. Non recordor quidem, me quempiam e sacerdotibus, qui ore vel scripto de meis actionibus et omissionibus iudicium mihi minus favorabile tulit, repulisse vel propterea male vel iniuste tractasse, ast forsitan nihilominus talis inter vos persuasio viget. Rogo, satagite, ut quo citius pessimam hanc persuasionem deponatis, nam ista obsesset unioni cordium, quae inter Episcopum et Clerum vigere debet, atque pro qua etiam Dominus noster in ultima sua oratione ante passionem Patrem suum coelestem tam enixe rogavit. Ergo dicant omnes aperte ac sincere, si in bonum dioecesis commune necessario quid emendandum putent; procuratores vero Cleri illud lingua vernacula in sessione una vel altera proferant propugnentque.

7. Quia vero absque Dei gratia nihil sumus nihilque possumus, nam nos quidem plantamus et rigamus, ille autem incrementum dat,¹⁾ et quia „omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est: descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio“:²⁾ confugiamus ad Patrem coelestem ferventibus orationibus, „si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur

¹⁾ Cf. 1. Cor. 3, 6.

²⁾ Jac. 1, 17.

ei; postulet autem in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circum fertur: non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.“ ¹⁾

Ideo ad Te confugimus, o beatissima Virgo et Mater Maria, post Jesum Christum unica spes nostra, ad Te, quae es Mater boni consilii et sedes sapientiae, impetra nobis a Sanctissimo Corde Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, quodque dives est in omnes, qui invocant illud, impetra nobis Spiritum Dei, quo adiuvante atque illuminante praesens Synodus cedat in gloriam Dei atque salutem aeternam animarum!

O sancti Angeli custodes et Vos patroni nostri, S. Joseph et S. Nicolae, succurrite nobis vestris precibus atque intercedite pro nobis. Amen!

Sermone ad finem deducto R^{mus} Praesul reversus est ad sedem in media ecclesia et mandavit, ut legeretur *decretum de officialibus Synodi*, quo designati sunt:

Promotor Synodi: P. T. D. Praepositus Capituli ecclesiae cathedr. Dr. Joannes Kulavic;

Substitutus promotoris Synodi: P. T. D. Vicarius generalis, Praelatus Joannes Flis;

Secretarius: P. T. D. Canonicus ecclesiae cathedr. Joannes Sušnik;

Lector: R. D. Catecheta Dr. Michael Opeka;

Procuratores Cleri: RR. DD. Decani: Mathias Erjavec, Joannes Novak, Franciscus Schweiger;

Notarius: R. D. Praefectus spiritualis in Sem. cleric. Dr. Franciscus Ušeničnik;

Magister Caeremoniarum: P. T. D. Canonicus eccl. cath. Josephus Erker;

Praefecti hospitiorum: RR. DD.: Director Sem. cleric. Dr. Josephus Lesar; Director Sem. pueror. Dr. Josephus Gruden; Subdirector Sem. cleric. Mathias Kastelic;

¹⁾ Jac. 1, 5—7.

Directores cantus: R. P. Custos Prov. Hugolin Sattner O. Fr. M. S. Fr.; R. D. Cooperator ad S. Jacobi Labaci Franciscus Ferjančič;

Director exercitiorum: R. P. Nicolaus Nilles S. J.;

Judices querelarum: P. T. DD. Canonici ecclesiae cath.: Joannes Sajovic, Thomas Kajdiž, Dr. Ferdinandus Čekal;

Confessarii: a) ex Ordine Fratrum Min. S. Francisci RR.PP.: Placidus Fabiani, Angelus Mlejnik, Josephus Bizavičar, Angelicus Hribar, Raynerius Kokalj, Salesius Vodošek; b) e Societate Jesu RR. PP.: Thomas Lempl, Aloysius Žužek, Augustinus Tschann, Franciscus Zehengruber; c) e Congregatione Miss. S. Vincentii a P. RR. DD.: Franciscus Javšovec, Carolus Heidrich, Urbanus Nežmah, Aloysius Nástran.

Designatis officialibus Promotor Synodi postulavit, ut *summatim proponeretur materia in Synodo tractanda*. Jussu R^{mi} Episcopi legit Secretarius, quae sequuntur:

Conspectus materiae.

1. De fide catholica.

2. De educatione iuventutis et quidem:

- a) a prima aetate;
- b) tempore obligationis ad scholam frequentandam;
- c) tempore post dimissionem e schola;
- d) de cura pro nupturientibus.

3. De vita populi christiani privata et publica:

- a) de societate a sacra Familia;
- b) de oratione, de sanctificatione dominicae, de frequentatione Sacramentorum, de variis piis devotionibus, praecipue de Apostolatu orationis, de Sodalitate a sacratissimo Rosario et tertio Ordine;
- c) de cura pro variis statibus, de vita nationali et constitutionali fidelium; de congressu catholico.

4. *De educatione et de vita honesta Cleri:*

- a) de utroque Seminario;
- b) de pietate, de virtutibus et officiis Cleri;
- c) de variis muneribus et conferentiis Cleri atque de
multiplici visitatione canonica.

Exinde rogavit Promotor Synodi, ut constituerentur „*Sectiones*“, quae res propositas diligenter perpenderent et recognoscerent. Respondens eius votis evoluit Episcopus, quae essent partes Sectionum, et hortatus est Synodales, ut libere ac aperte quisque diceret sententiam suam; Secretarius vero nuntiavit *praesides Sectionum, materiam a singulis perlustrandam necnon locum*, in quem convenirent.

Sectio I.

Titulus II. de educatione iuventutis.

Praeses: *canonicus Karlin*; Referentes: *Kržič, Smolnikar*;
Locus: *Bibliotheca episcopalis*. Invitantur ad consilia: *Sacerdotes ex Archidiaconatu Labacensi*.

Sectio II.

Tituli III. cp. I.—V. de vita christiana fidelium.

Praeses: *decanus Dolinar*; Referens: *P. Hugolinus Sattner O. Fr. M.*; Locus: *capella Seminarii*. Invitantur ad consilia: *Sacerdotes ex Archidiaconatu Carnioliae centralis*.

Sectio III.

Tituli III. cp. VI.—X. de vita sociali, nationali et politica fidelium.

Praeses: *decanus Arko*; Referens: *prof. Dr. Krek*;
Locus: *Aula maior in domo episcopali*. Invitantur ad consilia: *Sacerdotes ex Archidiaconatu Carnioliae interioris*.

Sectio IV.

Tituli IV. cp. I.—IV. de Seminario, deque Cleri vita pastoralis.

Praeses: *vic. gen. Flis*; Referens: *Msgr. Zupančič*;
Locus: *Bibliotheca Seminarii*. Invitantur ad consilia: *Sacerdotes ex Archidiaconatu Carnioliae inferioris*.

Sectio V.

Tituli IV. cp. V.—VII. de muneribus, conferentiis et visitatione canonica.

Praeses: *praep. Elbert*; Referens: *canonicus Sušnik*;
Locus: *in Seminario Aula maior Nr. 26*. Adsint ad consilia: *Sacerdotes ex Archidiaconatu Carnioliae superioris*.

Annotationes:

1. *Congregationes particulares* habeantur ab hora 11 antemeridiana usque ad prandium hora 12^{1/2}; dein ab hora 2 postmeridiana usque ad 3^{1/2}.

2. a) *materia Sectionis I.* pertractabitur in Congregatione generali II. fer. III. post meridiem;

b) *materia Sectionis II.* in Sessione publica II. feria IV. mane;

c) *materia Sectionis III.* in Congregatione generali III. feria IV. post. meridiem;

d) *materia Sectionis IV.* in Congregatione generali IV. feria V. mane;

e) *materia Sectionis V.* in congregatione generali V. feria V. post meridiem.

Ex ordine Synodi petiit Promotor, ut nominarentur *Examinatores ordinandorum*; iussu R^{mi} Praesulis Secretarius pronuntiavit nomina designatorum.

Examinatores ordinandorum.

Praeses: P. T. D. Vicarius generalis, Praelatus Joannes Flis.

Consultores: P. T. D. Canonicus eccles. cathedr. *Joannes Sušnik*;

P. T. D. Canonicus eccl. cathedr. *Andreas Kalan*;

R. D. Director Sem. cleric. *Dr. Jeseplus Lesar*;

R. D. Praefectus spiritualis Sem. cler. *Dr. Franciscus Ušeničnik*;

R. D. Director Sem. pueror. *Dr. Josephus Gruden*.

Jam ad electionem eorum, qui ad *beneficia curata promovendos examinarent*, progressa est Synodus. Quo facilius esset consensus eligentium, diribuit Secretarius tabellas, in quibus scripta erant nomina duodecim virorum, qui ad hoc officium apti essent; at simul dictum est Synodalibus, omnibus integram eligendi potestatem datam esse; quem exitum electio haberet, nuntiatum iri in proxima sessione.

Electione facta R^{mus} Praesul invitavit congregatos sacerdotes, ut studia et obsequia pietatis per telegrammata testificarentur Summo Pontifici Pio X., Suae Majestati Imperatori Francisco Josepho I., Illustrissimo Metropolitae Goritienensi. Cum Synodus lubenti animo assensa esset verbis Episcopi, Secretarius legit telegrammata, quae in haec verba conscripta erant:

Suae Sanctitati Pio PP. X.,
Romae, Vaticano.

Episcopus Labacensis et tercenti quinquaginta sacerdotes congregati ad primam Synodum dioecesanam Tibi ut petrae, super quam firmiter stat Ecclesia Christi, ut clavigero regni coelorum atque ut pastori gregis Christi amorem, reverentiam atque obedientiam usque ad extremum vitae halitum spondent atque vovent petuntque apostolicam benedictionem.

Antonius Bonaventura
Episcopus Labacensis.

Allerhöchste Kabinetsskanzlei*in Wien.*

Der Fürstbischof von Laibach und 350 Priester, versammelt auf der ersten Dioezesan-Synode, bringen Euer k. u. k. Apostolischen Majestät ihre ehrfurchtsvolle Huldigung dar, beteuern ihre Treue und Ergebenheit in allen, auch in den schwierigsten Umständen und flehen zu Gott um Gnade und Stärke für Eure Majestät zum wahren Wohle aller Völker der österreichisch-ungarischen Monarchie.

Antonius Bonaventura
Fürstbischof.

Celsissimo Domino Andreae Jordan, Archiepiscopo,

Goritiae.

Episcopus et Clerus Labacensis in prima Synodo dioecesana sensus profundae reverentiae erga suum Metropolitam profitentur.

Antonius Bonaventura
Episcopus Labacensis.

Grati responsi, quod Româ die 1. Septembris redditum est, haec sunt verba :

Sanctitas Sua, votis Tuis et sacerdotum congregatorum libenter exceptis, omnibus grato animo benedicit.

Merry del Val.

Ad telegramma, missum ad Suam Maiestatem Imperatorem Franciscum Josephum I., rescriptum

K. k. Landespraesidium

in Krain.

Laibach, am 4. September 1903.

Z. — 3767.

Eure fürstbischöfliche Gnaden!

Über diesfälligen mir im Wege der Allerhöchsten Kabinetsskanzlei zugekommenen Allerhöchsten Auftrag be-

ehre ich mich Eure fürstbischöfliche Gnaden für das namens der I. Diözesansynode in Laibach am 31. v. M. an Seine k. u. k. Apostolische Majestät gerichtete Huldigungstelegramm den Allerhöchsten Dank bekannt zu geben.

Empfangen Eure fürstbischöfliche Gnaden die Versicherung meiner vorzüglichen Hochachtung.

*Der k. k. Landespräsident:
Hein, m. p.*

An

*Seine fürstbischöfliche Gnaden, Herrn
Dr. Anton Bonaventura Jeglič, Fürstbischof
in Laibach.*

Illustrissimus Metropolitā respondit die 1. Septembris:

Magno animi gaudio reverentiae sensus accipiens de coepto tam salutari opere gratulor. Laboribus vestris Deus benedicat, ut Synodorum institutum maiora adhuc incrementa capiat et uberrimorum fructuum copia inde omnibus accrescat.

Andreas, Archiepiscopus.

Peractis omnibus, quae in ordine Synodi ad hanc primam Congregationem generalem statuta erant, indicta est ad horam 7. matutinam diei insequentis prima Sessio publica. Quo facto R^{mus} Episcopus persolvit orationes in Pontificali Rom. ad terminandam Congregationem praescriptas.

III.

Acta primae Sessionis publicae.

Feria III. post Dominicam XIII. a Pentecoste, Kalendis Septembribus, in festo Sti Aegidii Abb. C., paulo ante horam septimam matutinam Synodales iterum congregati sunt in ecclesiam cathedralem Sti Nicolai. Postquam R^{mus} Princeps-Episcopus comitatu Capituli advenit, recitata est officii hora tertia, et peracta ex ordine sunt omnia, quae Pontificale Rom.

in sessione publica primae diei agenda praescribit. Solemnem Missam votivam de Spiritu S. celebravit R^{mus} Antistes.

Implorata ope Spiritus S., Director exercitiorum spiritualium, R. P. Nicolaus Nilles, S. J., primum sermonem habuit.

Exorsus verbis Christi: „*Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*“ (Matth. 18, 20; Evang. sessionis publicae tertiae diei, v. „Red in opravila“ pg. 32.), accommodavit verba Domini ad conventum synodalem et haec fere dixit:

1. In Synodo dioecesana *unicus* legislator est Episcopus; quare Clerus congregatus nequaquam constituit collegium, quod per vota *decisiva* maioris partis negotia expediat.

Haec Episcopi potestas oritur: a) e potestate clavium Ecclesiae; b) e voluntaria submissione sacerdotum, qui in ordinatione Episcopo reverentiam et obedientiam promittunt. Sacerdotes congregatos ad Synodum adhibet Episcopus in consilium, quantum ipsi videtur.

2. Res, quae tractandae sunt in Synodo, necessitates sunt ecclesiasticae. In omnibus, quae pertinent ad cultum divinum et vitam christianam tam Cleri quam populi, cura ponenda est.

3. Magni ducere debemus, quod nobis contigit, ut Synodo dioecesanae interesse possimus. Pro quo beneficio gratiam Deo referentes, simus magnanimi, parati diligentissime observare praecepta, quae nobis proponuntur in Synodo. Quod ut facere possimus, renovemur et spiritu his diebus. Renovatione spirituali nobis opus esse, persuasum sit omnibus. Si terret labor, respiciamus finem. Omnem autem spem collocemus in Deo, qui gratia sua nos adiuvabit!

Cum Director exercitiorum orationem concludisset, postulavit Promotor, ut publicarentur *decreta Synodalia*. Episcopo consentiente legit Secretarius decreta de aperienda Synodo et de emittenda professione fidei. Jam omnes recipiunt formam professionis fidei Tridentino-Vaticanam, et

sub finem primo R^{mus} Episcopus, dein ordine reliqui manu libro Evangeliorum imposita iusiurandum dederunt. Quo facto promulgata sunt decreta de praeiudicio non afferendo, de modo vivendi in Synodo, de non discedendo.

Tum petiit Promotor, ut proponerentur electi in prima Congregatione generali examinatores promovendorum ad beneficia curata. Secretarius pronuntiavit nomina electorum.

Examinatores promovendorum ad beneficia curata.

Praeses:

P. T. D. Praepositus Capit. eccl. cath.: *Dr. Joannes Kulavic.*

Examinatores:

P. T. DD. Canonici eccl. cath.: *Andreas Kalan.*

Dr. Joannes Koren.

Dr. Andreas Karlin.

RR. DD. Professores:

Can. hon. Josephus Smrekar.

Msgr. Ant. Zupančič.

Dr. Joannes Janežič.

Dr. Josephus Lesar.

Dr. Josephus Dolenec.

Dr. Joannes Krek.

Dr. Alexius Ušeničnik.

R. D. Praef. spirit. in Sem. cler.: *Dr. Franciscus Ušeničnik.*

Ad extremum R^{mus} Praesul ascendit ambonem et breviter astrinxit argumenta tituli I. Constitutionum synodaliū, in quo agitur *de fide catholica.*

Impertita Synodalibus sollemni benedictione Celsissimus Princeps-Episcopus hora decima matutina finem fecit primae Sessioni publicae.

IV.

Acta secundae Congregationis generalis.

Hora quarta pomeridiana, feria III. post Dominicam XIII. a Pentecoste, Kalendis Septembribus, Synodales conven-

runt in ecclesiam cathedralem ad secundam Congregationem generalem habendam. Adventu R^{mi} Antistitis recitatae sunt Vesperae cum Completorio.

Dictis solitis precibus ante Congregationem inchoandam, Director exercitiorum spiritualium fecit verba *de honestate vitae clericalis*. Argumentum orationis fuit:

1. Duplex est vitae clericalis honestas: alia interna, alia externa. Honestas interna est gratia sanctificans; externa honestas bona fama. Utrique operam dare debet clericus. Id primo praecipiunt Canones ecclesiastici; deinde idem dictat ratio. Sacerdos enim est mediator inter Deum et homines. Ergo debet esse persona grata et Deo et hominibus. Est gratus Deo gratiâ sanctificante; gratus hominibus bonâ famâ.

2. Jam ut quis in bona sit fama, opus est ei integritate vitae, habitu clericali, fugâ negotiorum saecularium.

Ad integritatem vitae pertinet castitas et temperantia. „Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.“¹⁾ „Tabernas prorsus evitent.“²⁾

Quod spectat habitum clericalem, accurate servant, quae sive usu sive legibus in dioecesi vigentibus praecipiuntur. Qui deponit vestem clericalem, non est sibi conscius dignitatis sacerdotalis. Character sacerdotalis est indelebilis; quod si semper et ubique portamus indelebile signum sacerdotii, et vestem clericalem ubique geramus oportet.

Ad negotia saecularia quod attinet, docet nos B. Paulus Apostolus: „Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat.“³⁾

Finito sermone R^{mus} Antistes summam tituli II. Constit. synod. exposuit. Ad nominationem *testium synodaliū, iudicum in partibus* necnon *officialium iudicii ecclesiastici dioecesani* progrediens edocuit nominandos, quod esset eorum munus. Quo facto Secretarius pronuntiavit nomina designatorum.

¹⁾ Eph. 5, 18.

²⁾ c. 15. X. (III. 1.)

³⁾ 2. Tim. 2, 4.

Testes synodales:

1. *Archidiaconi.*
2. *Decani.*

Judices in partibus:

P. T. D. Praepos. capit. eccl. cath. *Dr. Joannes Kulavic.*
P. T. D. Vicarius generalis, Praelatus *Joannes Flis.*
P. T. DD. Canonici eccl. cath.: *Joannes Sušnik,*
Andreas Kalan,
Josephus Erker.

Judicium ecclesiasticum dioecesanum:

Praeses:

P. T. D. Vicarius generalis, Praelatus *Joannes Flis.*

Consiliarii:

P. T. DD. Canonici eccl. cath.: *Joannes Sušnik,*
Andreas Kalan,
Dr. Andreas Karlin.

RR. DD. Professores: *Msgr. Ant. Zupančič.*
Dr. Josephus Lesar,
Dr. Joannes Janežič.

Omnes electi una cum Examinatoribus synodalibus coram R^{mo} Antistite iusiurandum dederunt, se ut possint munere suo fideliter et sincere functuros esse.

Rogatu Promotoris Celsissimus Praesul indixit ad diem insequentem secundam publicam Sessionem simulque nuntiavit res pertractandas; propter ritum duplicem posteriori diei festi Sacrificium Missae celebratum iri, non de Requiem, sed de festo, cum applicatione pro defunctis Labacensis dioecesis Episcopis et sacerdotibus, imprimis pro defuncto Cardinali Jacobo Missia. — Dictis precibus in gratiarum actionem, congregati discesserunt paulo post horam sextam vespertinam.

V.

Acta secundae Sessionis publicae.

Feria IV. post Dominicam a Pentecoste XIII., a. d. IV. Nonas Septembres, qua celebratur festum S. Stephani Reg. Hung. C., hora septima matutina secunda Sessio publica coacta est. Dicta officii hora tertia, P. T. D. Praepositus Dr. Joannes Kulavíc celebravit Missam diei festi, applicans fructum Sacrificii defunctis Labacensis dioecesis Episcopis et sacerdotibus, nominatim defuncto Cardinali Jacobo Missia, proximo decessori in sede episcopali Labacensi. Post Missam persolutae sunt ab Episcopo preces synodales, quas excepit P. Directoris exercitiorum spiritualium oratio *de gradibus hierarchicis*.

Initium dicendi fecit a partitione graduum hierarchiae ecclesiasticae; transiens ad supremum gradum hierarchicum dixit: Munus *Episcopi* est munus laboris et sollicitudinis. Quibus expositis disseruit orator, quod ad omnes sacerdotes pertinet, officium boni pastoris et dixit:

1. Pastor bonus, ut eum describit ipse Dominus Jesus¹⁾, debet cognoscere oves suas. Non generatim, sed nominatim omnes penitus noverit oportet. Ut hanc tam necessariam notitiam acquirat, opus est residentiâ, et quod spectat ad Episcopos, opus est visitatione dioecesis.

2. Boni pastoris est curare pascua salutaria, quae providet praedicatione verbi divini, administratione Sacramentorum, bono exemplo. Maxime necessarium est pabulum doctrinae, nam „fides ex auditu.“²⁾ At nemo potest praedicare verbum divinum, nisi qui missus est ab Episcopo; praedicatio enim est res privilegiata et reservata Episcopo, qui solus proprio iure praedicat.

3. Pastor bonus defendit gregem a lupo rapaci. Lupi rapaces sunt hostes et inimici fidei christianae ac bonis moribus. Arma atque tela, quibus invadunt in populum chri-

¹⁾ Jo. 10, 1. sq.

²⁾ Rom. 10, 17.

stianum pravae sunt ephemerides, mala exempla, voluptates, quarum copia omnibus data est. In oppugnandis inimicis crucis Christi Episcopus dux est belli, quem sacerdotes omnes sequi necesse est.

Quomodo pastores pascant gregem sibi commissum, quo eventu pugnent cum hoste, haec et talia in visitatione liminum Ss. Apostolorum Episcopus refert ad Summum Pontificem. Dubium non est, quin Episcopus Labacensis multa, quae bene ac praeclare gesta sint in dioecesi, in proxima visitatione liminum Summo Pontifici narraturus sit; at quisque Synodaliū quaerat ex se, quam partem ipse habeat in cura animarum, quam in rebus egregie gestis.

Ultimum iter, quod Episcopus est suscepturus, est ad „Principem pastorum,“ Christum Jesum; tunc reddet rationem curae pastoralis et de suis sacerdotibus nuntiabit supremo sudici: „Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.“ ¹⁾

Sermone finito legit R^{mus} Praesul varios libellos per Procuratores Cleri sibi oblatos, promisitque, quod in se Jitum esset, se optatis libenter satisfacturum. Exinde Secretarius recitavit Const. synod. tit. III. cap. 1—5: *de vita christiana fidelium*. — Episcopus autem singula capita interpretando explanavit. — Benedictione sollemni secunda Sessio publica hora decima matutina dimissa est.

VI.

Acta tertiae Congregationis generalis.

Ad horam quartam pomeridianam feria IV. post Dominicam XIII. a Pentecoste, quae fuit a. d. IV. Nonas Septembres, in festo Sti Stephani, Reg. Hung., C., tertia erat indicta Congregatio generalis. Statuto tempore omnibus congregatis in ecclesiam cathedralem recitatae sunt Vesperae cum Completorio, quo facto dictisque precibus solitis, P. Director exercitiorum spiritualium quartam habuit considera-

¹⁾ Jo. 17, 12.

tionem, qua porro tractabat *gradus hierarchicos* exponebatque officium canonicorum, decanorum, parochorum, cooperatorum.

Canonicus, — ita dicere exorsus est, — si vis nominis consideratur, ille est, qui vitam ad canones composuit et exemplo suo aliis clericis canon i. e. norma vivendi est.

Decanus, si spectatur naturalis et principalis significatio vocabuli, ille est, qui decem viris praeest. Eius est: *a)* omnia, quae videt, cum bona tum mala, referre ad Episcopum; *b)* orare pro Episcopo; *c)* arbitrum et moderatorem esse illorum conventuum, qui olim „Kalendae“ nuncupati sunt, nunc autem „Conferentiae pastorales“ vocantur.

Nomen parochi flexum est de Graeco *παρέχειν*, quod praebere significat. Dicebantur apud Romanos parochi publici copiararii, qui magistratibus et legatis iter facientibus victum, ligna salemque praebebant. Ex hac significatione iam colligi potest, quod sit munus parochi in Ecclesia catholica. Instituit Ecclesia parochos, ut fidelibus ad aeternam patriam tendentibus alimenta aliaquae in itinere necessaria subministrarent. Quod ut possint facere, debent bene cognoscere omnes curae suae commissos. In ista notitia comparanda multum iuvant libri matrices, quos proinde parochi diligenter conscribant et bono servent ordine. — Quod attinet necessitudinem inter parochos eorumque cooperatores, meminerint parochi: *a)* quamvis habeant cooperatores, nihilo minus se inprimis debere incumbere ad salutem animarum; *b)* cooperatores sibi tractandos esse secundum illud Domini: Omnia ergo, quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.¹⁾

Cooperatores, qui cum parochis cooperantur, adlaborare debent, ut radii solis iustitiae penetrent in animos hominum habitantium in ultimis finibus paroeciae; cooperatores sunt tanquam venae, per quas sanguis Christi usque in extrema membra corporis mystici diffunditur.

¹⁾ Math. 7, 12.

Meditatione ad finem deducta recitavit Lector Constit. synod. tit. III. cap. 6—9 : *de vita sociali, nationali, politica fidelium*. R^{mus} Antistes expedit capitula rerum, ratione habita eorum, quae a Synodalibus in „Sectionibus“ notata erant. Verba faciens de vita sociali dixit Episcopus : summopere laudanda esse Cleri dioecesani studia vitae socialis ac politicae ; viam, quam sacerdotes persequerentur, esse arduam, sed rectam : et quamvis accideret, ut aliqui a recto declinarent, nihilo minus spem esse non dubiam, fore, ut actio socialis finem optatum pertingeret. — Postremo R^{mus} Praesul quam maxime commendavit sacerdotum charitati eos e Christi fidelibus, qui domo emigrant in terras alienas.

Dictis precibus in gratiarum actionem Synodales digressi sunt circa horam sextam vespertinam.

VII.

Acta quartae Congregationis generalis.

Feria V. post Dominicam XIII. a Pentecoste, a. d. III. Nonas Septembres, in festo SS. Euphemiae et Soc. Vv. Mm., hora septima matutina quarta Congregatio generalis celebrata est. Recitata officii hora tertia, P. T. D. Decanus Capit. eccl. cath. Andreas Zamejic obtulit sacrum Missae Sacrificium, quo oblato aliisque ex ordine peractis R. P. Nilles habuit sermonem *de vocatione et missione Apostolorum*. Locutus est his ferme verbis :

1. Consideremus primo homines, quos vocavit Christus ad apostolatam. Qui sunt et quales? —

Erant Apostoli viri operosi et laboris amantes, qui manibus victum quaeritabant. — Pestis detestabilis hominum, qui nunc sunt, animi est mollities. Proh dolor, sunt etiam in sacerdotibus, qui velint abundare omnibus, quae victum cultumque suppeditent, unde commode vivere possint! Christus elegit Apostolos viros rusticis laboribus duratos!

Plures Apostoli omnis eruditionis erant expertes et ignari; at Christus ipse formavit vitam et mores eorum in-

struxitque eos doctrina coelesti. Non erant docti, dociles erant; unus solus erat indocilis, — Judas avarus. — Evitemus avaritiam: omnia vitia senescunt senescente homine, avaritia sola non senescit.

Erant Apostoli imbecilli animo, tardi corde, attamen probi, aperti simplices.

Vide, quales debeant esse viri, quos Christus vocat ad opus apostolicum!

2. Perpendamus secundo conditiones, quas accipere debuerunt Apostoli, cum vocati sequerentur signa Christi Regis. Oportuit, ut deligerent id vitae genus, quo Christus utebatur: ut cum Christo et propter Christum esurirent, longa itinera facerent, persecutionem paterentur. Sed prima conditio, quam statuit Christus, ea fuit, ut crederent in ipsum. — Dixerunt quondam Apostoli Domino: „adauge nobis fidem.“ ¹⁾ Petamus et nos a Domino donum firmæ fidei, fugiamus sensum a religione alienum, simus addicti et dediti Romano Pontifici, Vicario Christi!

3. Mittens Apostolos, ut prædicarent evangelium, dixit Christus: „Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturae.“ ²⁾ Præcepit itaque Dominus, ne expectarent Apostoli, dum homines venirent; sed ipsi irent et quaererent homines: „euntes prædicate.“

„Infirmos curate.“ ³⁾ Præbete vos misericordes!

„Gratis accepistis, gratis date.“ ⁴⁾ Nihil tantum detrimenti infert sacerdoti quantum quaestus studium.

„Neque duas tunicas habeatis.“ ⁵⁾ Nimia in victu cultuque magnificentia in domo sacerdotis est offensioni populo fidei.

„Nolite transire de domo in domum.“ ⁶⁾ Vetantur hospitium mutare, ne tamquam gulosi male audiant.

„Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.“ ⁷⁾ Periculum ostendens consolatur eos dicens: „ecce ego mitto vos“,

¹⁾ Luc. 17, 5. — ²⁾ Marc. 16, 15. — ³⁾ Matth. 10, 8. — ⁴⁾ Matth. I. c. — ⁵⁾ Luc. 9, 3. — ⁶⁾ Luc. 10, 7. — ⁷⁾ Luc. 10, 3.

ut, dum mittentis potestas consideratur, periculi magnitudo non timeatur.

Cum Director exercitiorum spiritualium orationis finem fecisset, R^{mus} Antistes exposuit quaedam desideria Synodatum, pollicens, se omni cura provisurum, ut fierent, quae iure ac merito optarentur; deinde Celsissimus exhibuit rationem pecuniae acceptae et impensae in suum institutum et gymnasium ad S. Vitum. Quo facto Lector recitavit Const. synod. tit. IV. cap. 1—4: *de Seminario deque cleri vita pastoralis*. — Gratiis Deo actis Congregatio hora decima matutina terminata est.

VIII.

Acta quintae Congregationis generalis.

Eodem die, quo Congregatio quarta celebrata est, hora quarta pomeridiana iterum convenerunt Synodales in ecclesiam cathedralem ad quintam, ultimam Congregationem generalem. Recitatis ex more Vesperis cum Completorio, R. P. Nilles habuit sermonem *de Sacratissimo Corde Jesu*.¹⁾

Brevis notitia de objecto cultus publici Sacratissimi Cordis Jesu.

(Ex opusculo: „*Varia pietatis exercitia*“, Oeniponte. Fel. Rauch, 1898.)

1. Distinctione facta inter cultum publicum et cultum privatum, statuitur, naturam atque indolem cultus publici SS. Cordis Jesu non aliunde quam ex positivis authenticis documentis esse determinandam (pp. 1—2).

2. Diversitas obiecti utriusque cultus. In cultu privato vocabulum „Cordis“ omnibus illis significationibus sumi potest, quibus tum in sacris literis tum alibi usurpatur, et in quarum consideratione devota mens spirituales gustum et consolationem invenit. In cultu publico contra vocabulum

¹⁾ Hanc considerationem R. P. Nilles ipse scripto mandavit.

„Cordis“ speciatim eo sensu est intelligendum, quo Ecclesia illud acceptum vult, ut sit obiectum proprium ac mysterium cultus ac festi ab ipsa instituti (p. 3).

3. Obiectum cultus publici SS. Cordis Jesu. — Declarato triplici sensu vocabuli „Cordis“ (*a*) proprio = Cor physicum; *b*) metaphorico = amor; *c*) symbolico = Cor physicum quidem sed adiunctam habens amoris significationem), ostenditur ex authenticis actis Sedis Apostolicae, Cor symbolicum Salvatoris esse obiectum proprium cultus publici Cordis Jesu. Quod ut rite intelligatur, accuratius disseritur de genuina ratione symboli (p. 4) deque tribus eiusdem elementis constitutivis: de re signante, de re signata, de ratione significatus (pp. 4—8).

Corollarium. Obiectum cultus publici SS. Cordis duplici ratione definiri potest; recte enim determinatur, sive illud dicas „verum Cor Christi symbolice demonstrans eius amorem,“ sive illud definias, „amorem Christi in vero eius Corde symbolice repraesentatum“. In utraque definitione enim tres essentiales notas symboli expressas habes: rem signantem = cor proprie acceptum; rem signatam = ipsum amorem; rationem significatus = analogiam cordis cum amore (pp. 8—14).

(Sed haec omnia apertius et planius explicata videri poterunt in citato opusculo „Varia pietatis exercitia“.)

Cor divinum contemplor quatuor illis signis distinctum, quibus ornatum Beatae Margaritae M. Alacoque ab ipso Salvatore fuit ostensum: distinctum dico corona, cruce, flammis et vulnere.

Ecquaenam inter alias esse possunt mysticae harum notarum significationes?

I. Corona 1. inprimis convenit sponso (Der Brautkranz) monentibus Tertulliano „coronant nuptiae sponsos“¹⁾, et S. Joanne Chrysostomo „coronae capitibus sponsum, imponuntur“²⁾: quemadmodum hodieque fit in ritu graeco

¹⁾ De corona, 13.

²⁾ Hom. 9. in 1. Tim.; Migne, P. gr., 62, 546.

in quo et desponsatio στεφάνωσις coronatio appellatur. „Videte igitur divinum Salamonem in diademate, quo coronavit illum mater eius in die desponsationis illius et in die laetitiae Cordis ipsius.“ ¹⁾ O dulcissimum Cor Jesu, animam meam sanctissima corona tua in aeternum tibi desponsa, ut nunquam alium amatorem admittam.

2. Corona deinde praecipuum est ex insignibus regiis, quo maxime is conspicuus esse debet, qui a Deo constitutus est rex regum et dominus dominantium. „O Cor Jesu, rex cordium, dominator legitime, imo et unice omnium cordium, subiace imperio illi tuo divinissimo et suavissimo etiam rebelle cor meum.“

3. Corona praeterea est signum victoriae: ²⁾ „Et data est ei corona et exivit vincens, ut vinceret.“ ³⁾ Utinam semper sub sacratissimi Cordis vexillo sic pugnem, ut victoriae copiosiore partem consequar!

4. Tandem Corona debetur victimae. „Cor Jesu caritatis victimam, venite, adoremus.“ Fac me sacrificii tui participem. Tu ipse es, qui coronas nos in misericordia et miserationibus.

II. Lignum S. Crucis, signum Filii hominis,

III. mediis in flammis positum, quin comburatur. Moyses videns in deserto, quod rubus arderet et non combureretur, dixit, „Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.“ — Vadam et ego cum eo, magnam hanc visionem visurus.

Ecce, lignum crucis in Corde Jesu, mediis in flammis ardet et non comburitur. Videbo visionem hanc magnam! Videbo crucem cum amore intimo nexu coniunctam. Separari ab invicem nequeunt. „Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.“ ⁴⁾ „Verbum crucis iis, qui salvi fiant, Dei virtus est.“ ⁵⁾ „Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.“ ⁶⁾

¹⁾ Cant. 3, 11. — ²⁾ Σύμβολον τῆς νίκης, S. Joannes Chrys. l. c. —

³⁾ Apoc. 6, 2. — ⁴⁾ Matth. 10, 48. — ⁵⁾ I. Cor. 1, 18. — ⁶⁾ Gal. 6, 14.

IV. Ultima nota characteristic, qua distinctum Cor Jesu videmus, ipsa est apertura seu vulnus. In sanctissimo hoc vulnere duplex mysterium considerare licet: mysterium fenestrae et mysterium ostii seu portae.

Et fenestrae rationem duplici item sensu habet. Fenestra est nobis, per quam nos introspeciamus in SS. Cor Jesu; et fenestra est SS. Cordi, per quam ipsum in nos misericorditer perspectet.

Fenestra est nobis introspicientibus. Cor, inquit S. Franciscus Salesius, sedes est ac thronus amoris; fornax ardentissimae caritatis. (Testam. Leonis PP. XIII.) En fenestram tibi apertam, per quam introspicere ac videre possis amorem Domini in proprio solio residentem. „Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus.“ „Carnale vulnus vulnus spirituale ostendit.“

Fenestra est et ipsi Domino eiusque Sacratissimo Cordi. Amor divinus residens in Corde Salvatoris velut in proprio suo throno regio respicit per rimam transfixi lateris corda omnium filiorum hominum. „En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.“ O Sacratissimum Cor Jesu per apertam illam misericordiae fenestram aspice in me et miserere mei! Illustra faciem tuam super servum tuum et salvum me fac. Per rimam transfixi lateris tui emitte coelitus lucis tuae radium. Illos tuos misericordes oculos per fenestram vulneris SS. Cordis ad nos converte.

Verum evidens illud vulnus SS. Cordis Jesu non est exigua fenestra tantum, sed est lata et alta ianua, per quam ingredi in interiora possumus. „Ostia mihi Longinus aperuit lancea; et nos intravimus et requievimus securi.“ (S. Aug.) „Ostia haec intuemini: aperta sunt; introire ne timeatis; intus sunt deliciae inaestimabiles et odoramenta, per quae interiores animae sensus reparantur, et pacatissima quies.“ (S. Laurent. Justinian.) „Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis pateat introitus. Ad hoc vulneratum

est Cor tuum, ut in illo et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus.“ (Brev.) Magnum sane mysterium haec aperitio lateris Domini! Angelus ac Longinus duello confluxere mirando! Ostium vitae per peccatum erat obseratum. Ante paradisum collocatus Cherubim, cum flammeo gladio atque versatili, custodivit viam, ne quis ad lignum vitae intraret. Dum ecce Longinus, citato veluti equo advolat, Angelum fortiter assultat, hasta aggreditur, vincit victumque in fugam convertit sicque lancea tandem ostium paradisi apertum, medius paries maceriae sublatus, velum subductum, coelum pervium factum — et nos intramus ad misericordiae thronum, et ibi requiescimus securi. Hic nos exonerantes omnibus molestiis nostris ac curis, quibus opprimimur, dicamus cum devotis eius cultoribus:

„Ad SS. Cordis tui vulnus, o amabilissime Jesu, omnia cordium nostrorum vota et desideria conferimus, atque per infinitam bonitatem tuam suppliciter te rogamus ac petimus, corda nostra Cordi tuo in aeternum adstringe, ut tibi vivamus et in te moriamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.“

Post meditationem R^{mus} Episcopus respondit ad ea, quae per Procuratores Cleri denuo quaesiverant Synodales. Secretarius legit ultimam partem Constit. synod. tit. IV. cap. 5—7: *de muneribus, conferentiis et visitatione canonica*. Postremo Antistes monuit Synodales, ut ubique servarent decorum semperque memores essent Decreti Conc. Trid. (sess. 22. de reform. c. 1): „sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.“

Hora sexta vespertina dimissa est ultima Congregatio generalis.

IX.

Acta tertiae et ultimae Sessionis publicae.

Pridie Nonas Septembres, prima feria sexta mensis Septembris, quae fuit sacra SS. Cordi Jesu, in festo S. Rosaliae Virg., Synodales celebrarunt ultimam Sessionem publicam. Paulo ante horam sextam matutinam Celsissimus Princeps-Episcopus comitatu P. T. Capituli pervenit in ecclesiam cathedralem, ubi iam congregatus erat Clerus synodalis. Recitata officii hora tertia R^{mus} Antistes celebravit Missam votivam sollemnem in honorem SS. Trinitatis, Synodales vero inter sacrum refecti sunt SS. Eucharistiae Sacramento. Sacrificium Missae subsecutae sunt preces in Pontificali Rom. pro hac tertia publica Sessione praescriptae. Ex ordine debuit recitari catalogus eorum, qui litteris indictionis ad Synodum vocati et canonice requisiti erant; cum autem omnium nomina legi tempus non pateretur, et pauci, qui non aderant, rationem absentiae iudicibus querelarum iam indicassent: R^{mus} Episcopus statim ascendit cathedram sacram, ut haberet ultimum sermonem synodalem.

Allocutio,

quam ad finem Synodi dioecesanæ die 4. mensis Septembris habuit Celsissimus ac Reverendissimus Princeps-Episcopus Antonius Bonaventura.

Deo gratias pro innumeris bonis, quae decurrente Synodo omnibus nobis contulit. Materiam pertractavimus uberissimam. Instructiones et Constitutiones adaptavimus indigentis et necessitatibus temporis praesentis. Maximo cum gaudio vestrum fervorem observabam et quidem fervorem constantem, quo in variis sectionibus deliberationem promovebatis multasque propositiones vere fundatas mihi deferebatis. Mecum simul sustinebatis explicationes Constitutionum et varias instructiones. Non fallor, si dico, me Constitutionibus desiderio vestro satisfacisse, nec non ad veram libertatem multum contulisse.

1. Donati sumus a Deo magno dono libertatis, qua nos ipsi domini sumus nostrarum actionum, utpote in nostra potestate situm est illas ponere vel omittere. Ratio dictat nos ad rectum usum huius facultatis esse obligatos; quod enim in mundo physico vi legum naturalium fit, id in mundo morali vi liberae electionis fieri debet: sc. adimpleri debet voluntas Dei. In hac perfectissima subiectione sub voluntatem Dei nostra consistit dignitas atque felicitas his in terris et in aeternitate.

Ast prohi dolor, facile deficimus et vi quadam ad illicita, ad opera contra voluntatem Dei trahimur. Libera nostra voluntas adiutore indiget, ne tam facile deficiat. Adiuvatur autem lege et gratia. Lex enim voluntati viam ostendit, qua progrediatur, ne aberret; unde fit, ut, qui ordinem rectum vult, legem quoque velit, desideret, amet. Ideo dicit S. Apostolus Paulus, quod pro iusto lex non exsistat, quia iustus idem vult, quod lex ab illo postulat.

Nos sacerdotes sumus; impositum est nobis onus angelicis humeris formidandum. Quam multae obligationes incumbunt nobis et quam graves! Salus infantum, salus iuvenum et virginum, salus adultorum a nobis dependet. Quid nobis est agendum, quid cavendum? Hoc necessario indagare debemus, ne in incertum vagemur et ipsi caeci duces caecorum ad detrimentum omnium simus.

Constitutiones nobis hoc indicant atque ostendunt. Constitutiones ergo et instructiones a nobis desiderantur, exoptantur, ut illas observantes libertate nostra rite utamur. Inde Constitutiones promulgatae nobis non erunt quasi onus, quod portari non potest, sed alae, quibus portabimur in proseguenda salute nostra et salute fidelium, qui nobis sunt commissi.

2. Ite ergo, prouti in evangelio II. sessionis legimus, ite ergo, nam messis multa, operarii autem pauci. Revera messis est multa. Expectant vos infantes, qui educari debent, iuvenes et virgines, qui periculis undequaque circumdantur, parentes, qui instructione indigent, aegri et desolati,

qui iam desperant, peccatores, qui iam pereunt, iusti, qui iam titubant: ecce messis multa.

Ast operarii! Dico operarii, qui revera laborant, operam dant, non autem otiosi diem perdunt. Ecce messis multa, et operarii: an revera pauci? Non, Domine, non: ecce operarii multi, ecce omnes sacerdotes hic congregati, purgati a defectibus quotidianis in Sacramento S. Poenitentiae et refecti Corpore Tuo, hic stant quasi ignem spirantes terribiles diabolo et asseclis eius, parati ad opus indefessum in vinea Tua.

Ecce omnes sunt pleni fide, qua pretium animae immortalis sanguine Tuo redemptae cognoscunt, pleni purissimo zelo pro animabus istis redimendis et intimo dolore de peccatis, quibus animae opprimuntur, parati ad mortificationem, ad abnegationem, ad crucem, ad quam Tu illos invitas dicendo: Qui vult discipulus meus esse, tollat crucem suam, abneget semetipsum et sequatur me. Ergo vide operarios nunc multos, qui parati sunt. Te ducem supremum sequuntur dicuntque cum Thoma: „Eamus et moriamur cum Illo!“¹⁾

3. Et revera, perdilecti cooperatores mei in vinea Domini, obligati sumus Christum sequi: nam ministri eius sumus et dispensatores mysteriorum Dei²⁾; nos vices Christi in hoc mundo gerimus, ergo iuxta mandatum ab illo receptum regnum Dei propagare ac inter fideles confirmare debemus. Quomodo vero haec agere possumus, nisi Christum induerimus.

Insuper, nihil boni nec in nobismetipsis neque in aliis agere poterimus, nisi Christo Jesu adhaereamus eumque sequamur. „Ego, inquit Dominus, sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.“³⁾ Qui dicit nihil, nec parum, nec multum concedit; ergo nullum fructum ex ministeriis nostris referemus, nisi in Christo vivamus.

¹⁾ Joan. 11, 16.

²⁾ I. Cor. 4, 1.

³⁾ Ioan. 15, 5.

Dein voluit Christus Jesus, ut sacerdotes sint quasi civitas super montem posita, quare concludit: „Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.“ ¹⁾ Ergo tenentur sacerdotes bonum exemplum populo praebere. Quomodo vero, dum aliis Christum imitandum praedicant, ab hoc officio se exuant? Utique praedicatio nostra fructuosissima erit, si sanctae vitae alios praecedamus exemplo, eosque nostra sanctitate eatenus vincamus, quatenus dignitate praecellimus. Sanctitas vero nostra nulla erit, nisi Christum sequamur.

4. Sed in quo maxime Christum sequi et imitari debemus? In eo certe, in quo praecipue virtus et missio Christi enituit, nempe in crucis amore. Nam tota vita Christi crux fuit et martyrium, atque omnia tulit adversa et contraria sensui, carni, honori, dignitati suae ad mortem usque ignominiosissimam crucis. Sequi et imitari Christum in hoc scandalum est et stultitia mundo, nobis autem gloria et honor; nec aliquid delectabilius haberi potest quam eundem passionis calicem cum duce nostro Jesu combibere. Et quid nobis utilius est, quam viam crucis cum Christo Jesu sequi? Sane durum quid carni est et sensui, sed hoc expoliat nos veteri homine, ut novum induamus; hoc efficit, ut nostro proprio amoris nuntium demus et mundum aspernemur, hoc in nobis ignem caritatis ergo Deum accendit, qua magnos et pretiosissimos meritorum manipulos collegimus.

Taliter Christum sequentes revera in sanctitate proficiemus, virtutes omnes, praecipue illas in Constitutionibus nobis commendatas exercebimus, obeundis officiis et muneribus nostris, de quibus in Synodo sermo erat, apti erimus atque veri operarii in vinea Domini.

5. Ut vero de virtute in virtutem ascendamus atque cum certissimo fructu in vinea Domini operemur, oportet ut ipsi divinissimum Cor Jesu ferventer colamus, huiusque cultus apostoli ad populum evadamus. Ut ad hunc apostolum accendamus, audiamus, quid Jesus Christus ipse apo-

¹⁾ Matth. 5, 14. 16.

stolis cultus Ss. Eiusdem Cordis promiserit. Sunt vero tres gratiae, quas perpendendas proponam.

Primo inquit Jesus B. Margaritae Alacoque: „Ego gratias omnes eis suppeditabo, quibus in sui status conditione indigent.“ Secundo ait: „Eorum nomina in Corde meo inscribentur et inscripta manebunt, nec unquam fiet ut deleantur.“ Tertio addit: „Gratias ipsis sacerdotibus speciales tribuam et facultatem durissima etiam corda emolliendi.“

Quid his tribus promissionibus magnificentius, quid utilius tum ipsis sacerdotibus, tum populo, quem ad aeternam salutem ducere debent? Prima enim facile ipsi se perficere poterunt et sanctitati sui status addicere, nec non suis fungi ministeriis sacris. Altera de propria praedestinatione et salute certissimi erunt, vel saltem eam plena fiducia expectabunt, cum promissio Christi fallere non possit et idem sit dicere eorum nomina in Corde Jesu atque in libro vitae inscribi. Tertio denique magnum ex suo apostolatu fructum retrahent, quia si durissima etiam corda emollire poterunt, quid de aliis erit, qui tantam duritiem evangelii praeconibus non offerunt.

Quapropter ad finem Synodi devotionis formulam erga Ss. Cor Jesu ex corde proferamus, sincere nosmetipsos Illi offeramus ad omne opus conducens in gloriam Dei, salutem animarum atque propriam sacerdotalem perfectionem.

O Beatissima Virgo Maria, Regina sacerdotum, intercede pro nobis, ut gratia perseverantiae finalis nobis concedatur. Amen!

Post hunc sermonem rogatu Promotoris Secretarius promulgavit *decretum de Synodo finienda* et *decretum de Synodo proxime habenda*, quae Deo iuvante post factam secundam visitationem canonicam totius dioecesis celebrabitur. Exposito SS. Sacramento Reverendissimus Antistes incepit hymnum „*Te Deum laudamus*“, quem schola prosecuta est et terminavit. Jam gratis Deo actis omnes Synodales una cum R^{mo} Episcopo sollemniter se devoverunt SS. Cordi Jesu, recitantes consecrationis formulam assumptam ex En-

cyclica Leonis Pp. XIII. „Annum sacrum“ (dd. 25. Maii 1899). Conserationem excepit benedictio cum Sanctissimo Sacramento, qua data SS. Eucharistiae Sacramentum repositum est in tabernaculo. Ostiarii aperuerunt portas ecclesiae et Clerus et populus in aedem sacram ingressus persolverunt preces ad lucrandas indulgentias. Cum ad postulationem Promotoris Synodi publicatum esset et *decretum de Synodo dimittenda*, Secretarius processit ad altare maius et conversus ad Synodales incepit orationes, quae ex more in fine Synodi dicuntur.

Orationibus persolutis Promotor clara voce acclamavit Synodalibus: *Procedamus in pace! — In nomine Christi!* responderunt Synodales et recesserunt alacres gaudio, quod negotia Synodi felici successu expedita erant.



Constitutiones
Synodi dioecesisanae.

Introductio.

1. „Synodus dioeciesana est legitima Congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastoralis incumbunt, agendum et deliberandum est.“ Ita Benedictus XIV. de Synodo dioeciesana.¹⁾

Cum in Synodo dioeciesana tractandum sit de omnibus, quae ad curam animarum pertineant, in nostra autem dioecesi ob gr̃avia pericula tum fidei, tum morum curatores animarum ad utrumque periculum attendere, atque ab utroque populum praemunire teneantur, Synodus quoque dioeciesana ea fidei et vitae christinae capita insignire debet, quibus populus et clerus contra utriusque generis pericula praeservetur.

2. Ut Synodus fini suo satisfaciatur, Constitutiones eiusdem in variis titulis selectae proponantur.

Fides fundamentum est, radix atque fons totius vitae christinae, quae illi superstruitur, in illa radicatur atque ex illa quasi emanat. Cum vero vita naturalis hominis iam per Baptismum ad statum supernaturalem vitae christinae elevetur, oportet, ut cum evolutione vitae naturalis inde ab incunabulis vita quoque christiana evolvatur. Fideles, postquam ope educationis adoleverint, in variis vivunt societatibus atque vocationibus, in quibus salutem suam aeternam procurare tenentur. Ut vero tum infantes, tum adulti in fide christiana instituantur atque educentur, indigent magistris atque patribus spiritualibus, quibus cura eorum demandata sit, quique ad sublimem hanc vocationem educari, nec non vitam huic vocationi conformem agere debent.

Quae cum ita sint, in Synodo dioeciesana *quatuor titulis omnia proponuntur, quae ad fidem, ad educationem iuventutis, ad vitam christianam populi, ad educationem et vitam clericalem sacerdotum necessaria esse videntur.*

¹⁾ Benedicti pp. XIV. de Synodo dioeciesana l. I. cp. I. n. IV.

Titulus I.

De fide catholica.

3. Fides catholica non est originis humanae, sed divinae. Nam ipse filius Dei homo factus qua auctor illius agnoscitur, veneratur, atque adoratur. Christum esse filium Dei, tota historia generis humani luculentissime testatur. Haec veritas fundamentum est omnium aliarum veritatum, immo fundamentum totius vitae christinae domesticae atque socialis.

Nam, quia Christus, unigenitus filius Patris, verus Deus et verus homo, triplici suo munere, sc. qua propheta, sacerdos et rex, generi humano viam ad ultimum finem obtinendum monstravit, atque possibilem reddidit, nemo finem ultimum consequetur, nisi Christo prophetae, sacerdoti et regi in omnibus per totam vitam suam semet subiecerit.

Ast, prouti olim Judaei clamabant, „nolumus hunc regnare super nos“, ita quoque nostris temporibus permulti cuiuslibet aetatis, generis et nationis clamant contra Christum regem, immo nihil est, quod non tentent eo fine, ut regnum Christi funditus everteretur, atque nomen Eius ex memoria hominum deleteretur.

Contra tanta *fidei pericula* populum praeservare obligati sumus, ideoque adhibere *omnia media*, quae huic fini obtinendo apta videntur.

Cap. I.

De periculis fidei.

4. Fides populi nostri periculo exponitur variis modis:

a) Plurima *dogmata directe vel saltem indirecte oppugnantur atque negantur*, idque variis pravis diariis et foliis, nec non publicis coadunationibus, ad quas populus invitatur.

Oppugnatur vero praeprimis Ecclesia catholica eiusque constitutio hierarchica, quasi haec constitutio originem suam non a Christo haberet, sed fructus esset usurpationis iniquae et iniustae ex parte Romanorum Pontificum, episcoporum et cleri generatim, qui indomita tantum dominandi cupidine imbutus sit atque ducatur.

Saepius negabatur divinitas Christi sive directe sive indirecte et per consequens totus ordo supernaturalis ab Illo restauratus et per quem unice salus aeterna obtineri possit.

Item negabatur mysterium Ss. Trinitatis, immo existentia Dei personalis, per consequens creatio mundi atque spiritualitas animae humanae.

In genere respuitur supremum dominium Dei atque Jesu Christi, quod auctoritate ipsius Dei et Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesia propugnatur, defenditur, atque exercetur.

b) Ut vero fides paulatim saltem convellatur, *auctoritas cleri acerrime impugnatur*. Quapropter adversarii non abhorrent clerum ita describere, ac si progressum respueret, ignorantiam amaret, populum in ignorantia retinere adlaboret, ac si vitam ageret penitus dissolutam, immoralem, depravatam avaritia, gula, libidine, odio, hypocrisi; quem ad finem adversarii non cessant clerum impetere calumniis, convitiis, irrisionibus, atque omnia corradere scandala, quaecunque umquam ab infensissimis inimicis et obtrectatoribus cleri inventa vel per excessum exaggerata fuerunt.

c) *Mores quoque populi corrumpuntur* tum variis foliis ac libellis, tum coetibus atque solemnitatibus, quae potissimum diebus dominicis atque festivis per urbes et pagos celebrari solent; nam tali occasione populus pellicitur ad oblectamenta, si non directe illicita, saltem valde periculosa, instituuntur potationes et saltationes; offeruntur prava folia, proferuntur sermones contra fidem, contra Ecclesiam, contra vitam vere christianam.

Hisce periculis brevi recensitis praeprimis clerus remedia ferre tenetur.

Cap. II.

Media contra pericula fidei.

5. Varia dantur media, quibus populus contra fidei pericula praemuniri debet et potest.

a) Huc pertinet *educatio iuventutis* tum domestica inde a primo vitae initio, tum scholaris ope totius institutionis, praecipue ope veritatum, quae a catecheta traduntur. Huic educationi accedat oportet cura iuventutis, postquam e schola dimissa fuerit, ne incidat in laqueos, quibus iuventus a Deo atque a vita christiana avelleretur. Denique nec *vita domestica, socialis, nationalis, politica negligi potest*, immo obligati sumus huic vitae summam impendere curam, ut christiana, id est christianis principiis imbuta, maneat.

Quid vero sacerdotibus sub hoc respectu agendum sit, titulis II. et III. huius Synodi uberius explanatur.

b) Populo saepe proponi atque *exponi debent veritates oppositae erroribus*, qui circumferuntur, praecipue veritates de Deo, de revelatione et Ecclesia, de scientia et libertate, de officiis civis catholici, de statu, de vita sociali et socialismo; id vero fieri potest tum in ecclesia, tum in variis coetibus catholicis.

Studio scientiae theologicae, deinde repetito studio literarum Encyclicarum Leonis P. XIII. sacerdotes habiles evadent instruendo populo atque informando in omnibus quaestionibus, quibus ille commovetur.

Ut sacerdotibus valde occupatis studium facilius reddatur, Synodus haec in appendice, i. e. toto tomo secundo, veritates principaliores clero exponit, atque multas Encyclicas distributas in varia capita ei iterum atque iterum perlegendas proponit.

c) Populus a falsis prophetis cavebit, Ecclesiaeque adhaerebit, si *clerus sublimi vocationi suae conformiter vivit*, virtutibus excellit, scientia eminet, atque si omnes sacerdotes eodem sensu eodemque spiritu imbuti unanimiter procedant curentque verum bonum fidelium, qui eorum curae pastoralis commissi sunt. Titulus IV. huius Synodi talem culturam et unanimiorem cleri huius dioecesis intendit.

Titulus II.

De educatione iuventutis.

6. Sciant sacerdotes *educationem iuventutis* inde ab incunabulis *summi esse momenti* pro tempore et aeternitate. Experientia quotidiana docet, causam tot vitiorum, tot malorum in familiis et communitatibus quam plurimum perversam esse educationem.

Cum vero educatio populi cuiuslibet aetatis et sexus pastoribus animarum incumbat, tum *principia*, quibus educatio nitatur, accurate noverint, tum *applicationem eorum*, praecipue in variis stadiis iuventutis.

Cap. I.

De principiis educationis.

7. Pastores animarum vocati ad educandum populum principia necessaria depromant tum e philosophia, tum e theologia. Conentur in dies magis proficere tum *in cognoscenda natura hominis*, tum *in cognoscendis mediis naturalibus et supernaturalibus*, quibus homo ad finem ultimum obtinendum aptus redditur.

§. 1.

De natura hominis.

8. Corpus cum anima intime est coniunctum, quia ab hacce informatur et quia anima omnem suam cognitionem originaliter per sensationes corporales sibi acquirit. Propterea *cura corporis nullo modo negligatur*.

Facultates animae sunt intellectus et libera voluntas cum variis affectibus. Voluntas intellectum sequitur, nam nihil volitum nisi cognitum. Sed etiam intellectus a voluntate dependet, nam ab hac pro lubitu variis obiectis contemplandis applicatur vel ab illis retrahitur, ita ut tantum ea obiecta atque ea ex parte intueatur, prouti voluntati magis placet.

Insuper voluntas de omnibus facultatibus tum animi tum corporis disponit, illasque sibi subiectas tenet. Inde patet *necessitas educandi praeprimis voluntatem*.

Voluntas vero *amore* movetur. Nam quod amatur, illud ardentem appetitur, obstacula parum attenduntur, immo conatum et audaciam augent; neque voluntas facile quiescit, donec bonum desideratum obtinetur atque cum gaudio possidetur. Quod vero bono huic amato oppositum est, illud odio habetur, valde timetur, omnique conatu repellitur; si autem obvenerit, animus tristitia simul et ira impletur. Noti sunt illi affectus intime cohaerentes et ab amore dependentes: amor, desiderium, gaudium; odium, fuga, tristitia; spes, desperatio, audacia, timor; ira.

Inde magis adhuc patet, quanti sit momenti excolere imprimis voluntatem, et quidem inde ab initio, illique per instructionem solummodo illa bona ostendere, quae sunt vera bona hominis, ut amor veri boni, nec non odium veri mali voluntatem pervadat et per voluntatem totus homo, quoad omnes suas facultates tum corporales, tum spirituales ad servitium veri boni et ad fugam veri mali pertrahatur.

§. 2.

De periculis perversionis.

9. Propria experientia edocemur *hominem ad malum esse pronum* tum propter sensualitatem, tum propter voluntatem, quae bonum quidem probat, ast in sensualitatem quasi demersa ab illa multum dependet magnaue vi ad falsum bonum trahitur.

Fide edocemur, hanc naturae perversionem emanare a primo peccato commissio a nostris protoparentibus. Exinde evenit, ut concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae imperium in homine appetant atque peccata capitalia: superbiam, avaritiam, luxuriam, invidiam, gulam, iram et acediam cum reliquis vitiis progignant. E pravis inclinationibus, si illis non resistitur, sed si illae adamantur, vehementes effervescunt passiones malaeque inveterascunt consuetudines.

Inclinationes vero, quae ab initio dormiunt, tum per obiecta extrinseca illis proposita excitantur, tum verbis et exemplis hominum perversorum, qui pravis inclinationibus et passionibus inde natis devicti iam servi facti sunt peccati.

Fides insuper docet, etiam a diabolo pravas hominum inclinationes excitari, vel excitatas magis magisque inflammari. Et revera experientia docente tam vehementes passiones, tam horribilia vitia in singulis quibusdam hominibus, immo in societate moderna dominantur, ut ad illa explicanda causae mere naturales nullo modo sufficiant.

§. 3.

De mediis salutis.

10. Dantur *media naturalia*. Huc pertinet doctrina de vero et falso bono, de vero et falso malo, de modo compescendi pravas inclinationes, vincendi passiones, eradicandi consuetudines, de fuga pravorum hominum, de malitia diaboli. Ad doctrinam accedit bonum exemplum, quo inprimis iuventus ad bonum efficaciter allicitur, nam verba movent, exempla trahunt; est vero maximi momenti exemplum parentum atque superiorum. Ast doctrina cum bono exemplo non sufficit, voluntas ad malum prona praecepto quoque et legibus ab illo fortiter retrahi atque in bono firmiter contineri debet. Ultimo loco commendatur praemium pro bono, poena pro malo opere, ut recordatio iucundi affectus e praemio et dolorosi e poena hominem in eligendo bono et repellendo malo adiuvet.

11. Ast media mere naturalia minime sufficiunt. Tum intellectus, tum voluntas *mediis supernaturalibus* necessario indigent, quod pastores animarum exacte sciant et saepe serio perpendant.

Huc pertinet gratia sanctificans cum virtutibus tum theologicis tum cardinalibus et donis Spiritus Sancti, quae cum illa infunduntur. Qua gratia natura animae, virtutibus autem eiusdem facultates ad superiorem ordinem elevantur atque ad exercendas virtutes christianas aptae evadunt.

Insuper requiruntur gratiae actuales, quibus tum intellectus illuminatur ad bonum cognoscendum, tum voluntas impellitur ad bonum peragendum.

Inde sequitur necessariam esse instructionem de vita christiana, nec non usum mediorum, quibus utriusque generis gratia acquiritur.

12. Fide edocemur, *media ordinaria ad gratiam obtinendam esse orationem et Sacramenta*. Oratio absolute necessaria est, ita ut salvari nullo modo possit, qui non orat; nam gratiis necessariis destituetur, qui primam gratiam, quae est orationis, respuit.

Sacramenta vero gratiam sanctificantem cum virtutibus comitantibus vel conferunt vel augent, atque *insuper ius tribuunt ad speciales gratias actuales*.

Nimirum gratia sanctificans¹⁾, quae in singulis Sacramentis confertur, principium est et fundamentum auxiliorum, quae postea ad obtinendum peculiarem Sacramenti finem a Deo conceduntur. In Baptismo igitur confertur gratia sanctificans prouti continet ius ad auxilia divina, quibus homo Deum colere eiusque praecepta observare possit; in Confirmatione confertur gratia sanctificans prouti continet ius ad auxilia divina, quibus homo roboretur ad fidem conservandam et defendendam; in Eucharistia confertur gratia sanctificans prouti continet ius ad auxilia divina, quibus homo proficere possit per maiorem charitatem maioremque unionem cum Christo; in Poenitentia confertur gratia sanctificans prouti continet ius ad auxilia divina, quibus homo relapsus in peccata cavere possit; in extrema Unctione confertur gratia prout continet ius ad auxilia divina, quibus homo iuветur ad ferendas aequo animo morbi et ultimi agonis molestias; in Ordine confertur gratia sanctificans prout continet ius ad auxilia divina, quibus ordinatus digne et cum fructu exercere possit actus sui ordinis; in Matrimonio confertur gratia sanctificans prout continet ius ad auxilia, quibus iuventur coniuges ad munia coniugii rite obeunda. Hinc sequitur

¹⁾ Cfr. Noldin, Summa theol. mor. t. III. pg. 6.

hominem, qui per peccatum mortale amittit gratiam sanctificantem, simul amittere ius ad auxilia, quod in illa continetur.

De necessitate gratiae, atque de necessitate orationis nec non Sacramentorum, ad illam acquirendam, animarum pastores intime sint persuasi, semperque profundius illam cognoscere studeant, ut apti fiant ad educandam praeprimis iuventutem, neque a recta educandi via in seligendis mediis opportunis aberrent.

Cap. II.

De prima educatione domestica.

13. Prima educatio solummodo mediate ad curatum pertinet, in quantum scilicet obligatus est, ut parentes, praecipue matrem de modo educandi prolem conscientiose instruat; nam officium primae educationis illi incumbit; quapropter bene informetur, quid ante, quid post partum infantis agat.

§. 1.

De initio educationis.

14. Curator animarum instruat matres de dignitate infantis, cuius corpori statim a conceptione Deus immediate animam immortalem infundit, quique in Sacramento Baptismi per gratiam sanctificantem ad statum filiorum Dei elevatur. Tali cognitioni innititur amor prolis verus et supernaturalis atque obligatio educationis, qua infans ad Deum adducatur.

Moneantur matres, ne numerositatem prolis pertimescant, sed confidenter Deo relinquant. Nam Deus, qui in providentia sua plantas et animalia nutrit, infantium quoque curam habebit et de necessariis providebit, si parentes orant, laborant et bona comparata non dissipant. Insuper sciant matres, optimum et prae omnibus meritorium opus misericordiae esse opus exhibitum infantibus.

Statim ac mater se a Deo benedictam esse percipit, curet ne infanti damnum inferatur, quo illato ille absque

Sacramento regenerationis decederet. Caveant ergo matres a nimis difficili labore et a vehementiori affectu. Ad talem providam curam sub peccato obligantur.

Inclinationes bonae vel malae infantis a dispositione parentum, praecipue matris inde a primo instanti vitae quam plurimum dependent. Vae infanti, qui vitam accepit a parentibus ebriosis, sensualitati valde deditis vel aliis passionibus inflammatis.

Edoceantur ergo matres de obligatione, quae illis ante partum prolis iam incumbit, sc. agere vitam piam, mansuetam, devotam, continentem. Propterea ad Sacramenta frequentius accedant, orationi saepius vacent, atque prolem ferventibus orationibus Deo, Ss. Cordi Jesu, nec non beatæ Mariae Virgini instantissime commendent.

§. 2.

De educatione ab incunabulis.

15. Instruatur mater de obligatione impendendi vigilem curam pro infantis vita tum *corporali cum spirituali*.

Ipsa infantem nutriet, quia talis nutritio salutis eiusdem corporali optime convenit, quapropter nutrici illum non tradat, excepto casu gravis necessitatis, ne sanitas detrimentum capiat. Vigilet super parvulum, cibum illi procuret et potum, vestimenta et tectum, curetque, ut corpus eiusdem maneat integrum et secundum leges naturales prospere crescat.

16. Maiorem curam impendat *educationi spirituali*. Sciat per sensus, qui ad res externas percipiendas in dies magis idonei evadunt, excitari infantis phantasiam, vim cogitandi, nec non facultatem appetendi. Caveant ergo matres inde a primis mensibus, ne per sensus in phantasiam et animam intrent perceptiones et imagines obiectorum, quibus perversae passionis excitarentur. Licet infans percepta nondum intelligat, at in memoria manebunt et in phantasia, serius reproducentur, atque in vitam spiritualem pessime influent.

Infantes tractentur cum amore, patientia et mansuetudine. Amor matris, imprimis amor supernaturalis, fide nutritus,

omnes difficultates in educanda prole vincet, estque fundamentum patientiae et mansuetudinis. Tali agendi modo in corde quoque infantis amor, gaudium, mansuetudo excitantur atque fovebuntur.

Si vero parentes saepe irascuntur, irati clamitant, maledicunt, exprobrant, percutiunt, verberant, etiam in infante ira suscitatur, unde animus fiet durus et pronus ad convitia, ad clamores, ad pervicaciam et obstinationem; simulque debita erga parentes reverentia minuitur, tollitur.

Edoceantur matres, quid agant, ne malae inclinationes ad inobedientiam, habendi cupidinem, iram, duritiam erga proximum crescant et in corde praedominentur, sed ut magis virtutes variae cordibus inserantur ibique foveantur. Inprimis ad omnimodam obedientiam, ad perfectam veracitatem et ad teneram pudicitiam infantes educentur.

17. *Educatio spiritu religionis* imbuatur. Iam infantem sui nondum conscium mater saepius signo Crucis signet aspergatque aqua benedicta. Cum vero conscientia sui in infante inchoaverit, mater infanti, quem in ulnis tenet, de Deo loquatur, de Christo Jesu eiusque amore, de beata Virgine, de angelo custode, de coelo, de inferno, de horrore offensae Dei, de amore Dei erga infantes obediētes morigerosque. Amor naturalis et supernaturalis matris suggeret illi verba apta pro captu tenerae aetatis. Insuper sciant matres, per Baptismum cum gratia sanctificante proli infusam quoque fuisse virtutem fidei, seu facultatem supernaturalem ad doctrinas fidei percipiendas et firmiter credendas.

Orationes quoque ordinarias addiscat infans a matre. Curet vero mater, ut infans assuefiat verba orationis pronuntiare integre, distincte, lente, devote; exemplum matris praeluceat infanti. Assuescat infans orationi matutinae et vespertinae, ante et post mensam.

Pravas inclinationes et peccata uti inobedientiam, iracundiam, mendacitatem, iniurias illatas sororibus et fratribus, amorem sui, duritiam cordis mater retundat commonendo infantem, talem agendi modum Deo bono displicere, offendere dulcissimum Cor Jesu, tristitia afficere beatam Virginem et

angelum custodem; si infans non respiscit, puniatur, sed sciat se puniri propter offensam Deo illatam in eiusque nomine; vespere non decumbat, nisi a Deo veniam deprecatus fuerit et emendationem spoponderit.

Sciat autem mater, se nihil vel admodum parum profecturam, nisi prolem suam fervidis orationibus Deo, Ss. Cordi Jesu et beatae Virgini quotidie, inprimis diebus dominicis in Missae sacrificio commendaverit, defectus in educatione deplo- raverit, lumen et gratias pro se et pro infante imploraverit.

Talem agendi modum pastor animarum *matribus saepis- sime inculcet*. Ut vero animarum curatores hunc finem eminenter religiosum et socialem certius atque securius obtineant, coram Deo illos *obsecramus, ut*, ubi facile, *tempore quadragesimam antecedente omnes sponsas ac matres ad triduana exercitia, singulis autem quatuor temporibus omnes sponsas nec non mulieres nondum ultra quinque annos matrimonio iunctas ad instructiones convocent, in quibus de obligationibus sui status, praecipue de servandis et cavendis in educatione prolis uberius instituantur.*

Cap. III.

De ulteriori educatione in schola.

Cum vero infans ad illam pervenerit aetatem, in qua ad scholam frequentandam obligatur, tunc pastor animarum non solummodo mediate, sed etiam immediate educationem infantis promovere poterit et perficere, idque qua *catechista* variis functionibus, quibus in intellectum et voluntatem discipuli efficaciter poterit influere.

§. 1.

De catechismo tradendo.

18. Sciant sacerdotes sibi qua *catechistis duplex incumbere officium: Primum* est, ut satagant infantium mentes imbuere veritatibus christianis, *secundum* vero, ut omni nisu adlaborent flectere voluntates eorum ad vitam conformem veritatibus et praeceptis fidei agendam. *Hoc alterum officium summi est momenti, eo quod infantes illo educantur.*

In hac enim tenera aetate¹⁾ potissimum intellectus superno lumini aeternisque veritatibus imbibendis aperitur, rebelles depravatae naturae passiones et affectus subiguntur, mores hominum ad vitam praeceptis divinis et ecclesiasticis conformem inflectuntur et reformantur, errores ex imperitorum animis evelluntur, simulque praecavetur, ne scelus monstra ab ignorantia, ancillante malitia, inducantur.

Experientia docet, *omnem posteriorem vitam dependere ab educatione a prima infantia usque ad dimissionem e schola*; immo dicunt hominem mansurum talem, qualis usque ad decimum vel duodecimum annum fuerit. Inde sacerdotes perspiciant, quam grave munus qua catechistae in se susceperint, vitamque christianam populi quam plurimum a modo dependere, quo ipsi hoc munere perfunguntur, imprimis, num obeundo munus catechistae praecipue ad obligationem educandi prolem attenderint.

Ideo catechistae²⁾ sint *ferventes, sollertes, mansueti, discreti*. Sine zelo eoque eximio divinae gloriae et salutis proximi attentionem a parvulis haud facile impetrabunt; sine sollertia et studio capita doctrinae christianae nonnisi obscure, obiter aut frigide exponent inepti, qui audientes doceant modum, quo doctrinam explicatam pro salute animae suae applicent et per exercitationem in praxim redigant; sine mansuetudine parvulis terrorem incutient ita, ut omnes catechistam cum catechesi fugiant; sine discretione et prudentia, non exploratis genio, indole et capacitate parvulorum, ea proponent tenerae adolescentiae, quae captum superant, quin speratus exinde fructus sequatur.

Dein catechista ipse *amore veritatum, quas tradit, inflammatus appareat*; non aridis solum verbis de iis loquatur, sed efficacibus, convictione, affectu, suavitate unctioneque plenis; loquatur ex corde, loquatur etiam corporis gestu; vultu et oculis veritates demonstret imitandas; nunquam fastidio capiatur usitatissima quaeque saepius repetere, cum unice hac repetita doctrina parvulorum animos et intellectus plenius occupare possit.

¹⁾ Instr. Eystett. pg. 514.

²⁾ Ibid. pg. 515, 519.

19.1) Ad educationem non solummodo illuminatio intellectus, sed etiam et quidem *praeprimis cultura voluntatis pertinet.*

Quem in finem explicationi doctrinae catechista *statim exercitia intrinsecae vitae religiosae coniungat*; eliciat cum infantibus correspondentes actus fidei, vel adorationis, gratitudinis, desiderii, timoris, doloris, amoris, quo exercitio doctrina corda occupabit et cum vita coniungetur. Provocet infantes, ut similes actus ipsi quoque repetant mane, vespere, ad pulsum campanae, eundo penes ecclesiam, coemeterium. Ostendat insuper infantibus necessitatem abnegationis sui ipsius, enumeretque illis varias occasiones, in quibus virtutem abnegationis tum intrinsecae tum extrinsecae exercere possint, debeant.

Inducat catechista infantes in *exercitium cultus divini*²⁾; instruat illos modum bene orandi, visitandi Sanctissimum, colendi Ss. Cor Jesu et Mariae, audiendi sacram Missam, percipiendi Sacramenta; per decursum anni explicet infantibus singulas partes anni ecclesiastici, doceatque illos convenientia exercitia pietatis intrinseca et extrinseca.

20. Nunquam catechista desinat excitare in infantibus *horrorem peccati* in genere, in specie vero horrorem peccatorum, quae in illa parochia saepius occurrunt, uti sunt: intemperantia, clamores nocturni per plateas, morari in cauponis, maledicere, verberibus caedere, impudice agere, castitatem periculo exponere, obscenos sermones auscultare, parentes offendere, horum curam negligere, otio indulgere.

Catechista ne fatigetur loqui de Deo omniscio, sancto, iusto, de gaudiis coeli et de poenis inferni; ostendat strictam obligationem, a natura nostra emanantem, Deo, utpote Creatori, Salvatori et Iudici nostro, in omnibus subesse, ideoque audire ecclesiam eiusque ministros, quos Deus et Dominus noster qua vicarios suos constituit, ut per eos opus redempti-

1) Schüch, Pastoraltheologie pg. 132 sqq.

2) Laib. Dioecesanbl. a. 1877 „Vpeljava otrok v bogočastno življenje“.

onis semper et ubique continuet. Loquatur de infinito amore Dei, qui pro nobis homo factus in cruce nostras poenas luit, Ecclesiam fundavit, atque Sacramenta instituit, quorum usu nos meritorum mortis eius participes fieri, veniam peccatorum obtinere et finem ultimum assequi possimus.

21. *Vehementer adhortamur* omnes sacerdotes in cura animarum constitutos, ut hunc in modum infantium educationi studeant. Quem in finem diligenter pervolvant libros de educatione in genere et de educatione catechetica in specie tractantes; ast hoc studium absque fructu manebit, *nisi catecheta ad singulas horas catechismi diligentissime semet prae-paraverit* atque iam domi accurate et in specie determinaverit exercitia, quibus eo die educationem commissae sibi iuventutis promovere velit.

§. 2.

De prima confessione.

22. *Catecheta utilitatem, immo necessitatem Sacramentorum*, ex quorum institutione ineffabilis amor nec non infinita misericordia Dei elucet, quam clarissime explicet. Haec conamina duplicabit tempore, quo se accingit praeparare infantes ad Sacramenta Poenitentiae et Ss. Eucharistiae.

23. Sciant animarum pastores, *Sacramentum Poenitentiae optimum esse medium verae educationis*, aptum inprimis ad voluntatem pie excolendam eumque ad omne bonum non solum flectendam, sed etiam roborandam.

Sacramentum scilicet Poenitentiae inducit infantem ad meliorem et perfectiorem cognitionem sui ipsius, suorum defectuum, quorum iam naturali replebitur pudore. Accedet instructio patris confessorii, cuius oculis cor infantis omnino est apertum. In schola educatio non potest esse nisi magis generalis et obtutu solum eorum defectuum, qui extrinsece apparent. In confessione vero pastor cum singulis occupatur, qui cordis intima illi aperiunt; quapropter vulnera etiam occulta perspicit, pravas inclinationes, quae pullulare coeperunt, occasiones et pericula perversionis cognoscit; ideo

instructione paternaque admonitione vulnera poterit curare, inclinationes retundere, occasiones remove; excitabit affectus doloris, poenitentiae, pudoris, timoris, spei et amoris, ut infans Deum offensum sibi reconciliet; et ad firmum propositum quoque illum inducet non peccandi amplius, cavendi occasiones, resistendi pravis inclinationibus; denique media emendationis poenitenti suppeditabit.

Accedet gratia Dei specialis, qua infans adiuvabitur in proposito et conamine vitandi peccata neque in illa reincidendi. Gratia sanctificans cum virtutibus comitantibus per absolutionem infanti restituetur vel augebitur. Quae media supernaturalia summi momenti sunt habenda in opere educationis christianae.

Unde magna utilitas, immo et necessitas patet, infantes ad frequentem usum huius Sacramenti provocandi. Nam solummodo frequentiori usu conscientiam acuent, animam a peccatis purgatam conservabunt, periculum amittendi gratiam sanctificantem cum iure ad specialia auxilia contra peccata evitabunt, immo gratiam augebunt, saepiusque illam contra relapsum obtinebunt. Insuper confessarius prudens et amore Dei atque infantis imbutus frequenti confessione educationem eius efficaciter promovere et dirigere poterit.

24. Unde sequentia *decernimus*¹⁾: a) prohibemus, ne prima parvulorum confessio *ultra nonum aetatis annum* differatur, nisi adsint causae valde graves: inter has numquam pigritia vel pravitas numeranda est, immo per poenitentiam aliqua saltem emendationis spes affulgere videtur. *Completus annus septimus vel octavus erit tempus aptum primae confessionis.*

b) Instructio de s. Poenitentiae Sacramento iuxta catechismum instituenda est per plures hebdomades, circiter sex. Catechistae imprimis cordi erit, ut parvuli *magis praxim solidam et methodum confitendi addiscant*, quam ut theoriam nimis et rationem et indolem huius Sacramenti perspiciant. Pro tenera enim hac aetate utilius est scire, quo modo con-

¹⁾ Cfr. Instr. Eystett. pg. 522. sqq.

scientia sit discutienda, dolor eliciendus, propositum efformandum, confessio patefacienda, satisfactio peragenda, quam quid sit conscientiae examen vel doloris et contritionis intima natura.

c) *Examen conscientiae* fiat in certa aliqua et simplici forma iuxta decalogum, praecepta Ecclesiae et septem vitia capitalia. Sic dicta „specula“ in libellis precum valde dubii sunt valoris, immo hinc inde nociva, propterea nonnisi caute adhibeantur, vel penitus praetermittantur; sed ex iis, quae in catechismo didicerint, assuescant infantes discussionem conscientiae instituere; formulam contritionis optime discant scholares et catechista eiusdem sensum nitide et clare illis exponat; indicet, quo tempore illa elicienda sit.

d) *Modum denique externum confessionis* catechista bene edoceat scholares, singillatim demonstret, quomodo ad confessionale sit ineundum, quando et quomodo recedendum, quomodo incipiendum et finiendum, quibus verbis peccata uniuscuiusque praecepti confitenda. Minime vero sinat, ut adolescentes in schola ad speciem confiteantur; neque permittat, ut peccata in confessionali e scheda legant. Caveat porro, ne his suis clientibus terrorem huius Sacramenti inculciat, animum potius illis faciat et adiutorium polliceatur. *Occasione primae confessionis parvuli confraternitati cuidam b. Mariae Virginis aggregentur.*

e) Cum homo confitendo discat modum confitendi et gustum, *mandamus, ut parvuli saltem sexies, si possibile, in anno ad sacramentalem confessionem adducantur*, nec unquam catechista omittat, eos iterum iterumque hac de re breviter et summarie edocere, antequam confiteantur.

§. 3.

De prima communione.

25. Omnem spem communitatis esse positam in christiana parvulorum educatione, nemo dubitat. At non minus certum est, nullam rem ad istam educationem plus conferre, quam debita ad primam communionem praeparatio. Itaque

haereant parvuli in medullis et visceribus curatorum et catechistarum, ut toto pectore operi tam gravi incumbant.¹⁾

Noverint ergo sacerdotes, quali *fervore* infantes ad primam communionem praeparent.

26. Institutio et educatio, qualem descripsimus, *praeparationem remotam* constituit.

Propior praeparatio occupatur in exponenda doctrina de ss. Eucharistiae Sacramento. Firma fides in realem praesentiam Christi, persuasio de gravi necessitate huius cibi ad vitam spiritualem conservandam et augendam, atque fervens desiderium hoc sacramentum suscipiendi in mente et corde parvulorum excitetur.

Praeparatio proxima consistit in confessione, quae de regula sit generalis, ut puro corde, vera vitae emendatione et ardenti caritate ad primam communionem accedant. Actus et preces ante et post communionem parvulis clare explicentur, ut cum vero intellectu actus ponant, preces fundant.

27. Quoad modum, quo prima communio instituitur, decernimus:

a) *Prima communio non differatur ultra duodecimum annum*, nisi adsint causae gravissimae; *omnimode vero admittantur parvuli ad istam, antequam cessaverint frequentare scholam*. Valde autem *desideramus*, ut parvuli statim primo vel saltem secundo anno post primam confessionem ad primam quoque communionem praeparentur et admittantur; nam pro educatione summopere proficuum videtur, si parvuli iam qua scholares usum frequentioris communionis addiscant, illique assuefiant, quod serius vix fieri poterit, immo timendum, ne parvuli praecipue pueri statim post primam communionem e schola dimissi ad frequentiore communionem frustra invitentur, sed perversae consuetudini communionis annuae vel bis in anno succumbant et tempore periculosissimo priventur remediis, quibus passiones vincere et in virtutibus proficere possint.

b) *Praeparatio fiat iuxta textum catechismi*, ubi praecipue doctrina de reali Christi praesentia et de s. commu-

¹⁾ Instr. Eystett. pg. 523.

nione scholaribus convenienter proponatur. Vix unquam catechista vel parochus parvulum, qui aetatem statutam assecutus est, ab hoc fonte gratiae et emendationis totaliter arceat, vel ejusdem usum ulterius procrastinet; nam licet parvulus tardioris sit ingenii, nihilominus quoad vitam spirituales sufficienter provectus esse potest.

c) Praeter instructionem curatus neocommunicantes, quos iam toto anno sollicitè invigilaverit, eosque ad praxin omnium virtutum, maxime obedientiae, pietatis, pudicitiae et diligentiae informaverit, ad *varia pia exercitia inducet*, praemis ad visitationem Jesu Christi in tabernaculo degentis, atque ad pias preces ad Virginem Mariam, ut ope illius Jesum digne in cor suum suscipere valeant. Suadentur exercitia spiritualia per triduum ante s. communionem. Parentes, immo omnes parochianos hortetur e suggestu, ut piis precibus, exemplis et monitis parvulorum studium accendere non desinant.

d) Ut memoria altius mentibus imprimatur, *prima s. communio celebretur* praesentibus parochianis et cum externo apparatu ad altare ornatum, prouti in festis primae classis fieri solet.

e) Neocommunicantes congregati in schola vel aedibus parochialibus processionaliter et sub pulsu campanarum in ecclesiam introducantur. Convenienti brevi sermone praemisso instituatur *renovatio votorum baptismalium*. Infra solemnem Missam ad primam communionem parvuli accedant. Suadetur ut organis tacentibus preces immediate ante et post communionem ab omnibus simul alta voce et lente recitentur.

Post meridiem iusto tempore ad solemnes litanias coram Sanctissimo convocentur, determinata formula *beatissimae Virgini Mariae consecrentur*, atque in associationem Apostolatus orationis cooptentur. Commendatur usus, neocommunicantibus tradendi memoriale quoddam primae communionis. Recreatio quoque communis, vel brevis peregrinatio parvulis concedi potest. Pompae vero nimis profanae omnino devitentur; in cauponam neocommunicantes nunquam ducantur!

f) Parvuli moneantur ad frequentiore[m] s. communionem; assuefiant accedere singulis mensibus, vel saltem quolibet secundo mense. Curet pastor animarum, ut parvuli s. communionem adament et frequentiori usui assuefiant. *Propter amorem Christi, rogamus omnes, ne parcant labori, ut parvulos, quos Christus tantopere amat, saepius ad Illum perducant.* Frequentiori enim communione efficitur, ut parvuli fructus uberrimos s. communionis percipiant, a peccatis gravibus praeserventur, vero divino amore accendantur et vitam vere christianam ducant.

§. 4.

De variis piis exercitiis ad educationem aptis.

28. Quae de vere christiana educatione ope catecheticae institutionis et ss. Sacramentorum monuimus, a pastoribus animarum accurate observentur; nam tali agendi modo media educationis naturalia et supernaturalia recto et continuo usu applicantur. Ex omnibus piis exercitiis sequentia in specie pastoribus commendamus.

29. Qualibet occasione foveant curati in corde iuventutis *pium amorem erga sanctam matrem Ecclesiam, atque sinceram reverentiam erga eiusdem ministros*, praecipue erga Romanum Pontificem et episcopum dioecesanum.

Persuasi sint parvuli, veritatem nullibi inveniri nisi in Ecclesia, salutem cum aeternam, tum temporalem obtineri non posse nisi per Ecclesiam, quam Dominus Jesus, filius Dei vivi, qua unicam magistram veritatis et unicam ministram salutis omnibus populis constituit.

Parvulis commendetur oratio sicut pro parentibus, ita etiam pro Pontifice, episcopo et sacerdotibus. Precibus *vespertinis* addant orationem: „Oremus pro Pontifice nostro N. N. Deus conservet eum, vivificet eum atque beatum faciat in terris, nec tradat eum in manus inimicorum eius. Pater. Ave.“

Meminerint sacerdotes, vitam vere sacerdotalem, zelum pro gloria Dei et salute animarum, verumque amorem erga

parvulos optimum esse medium ad conciliandam reverentiam et obedientiam debitam erga Ecclesiam eiusque ministros.

30. Foveant catechistae iam in corde parvulorum *tenerum amorem erga Dominum nostrum Jesum Christum in ss. Eucharistiae Sacramento, atque erga divinum Cor eiusdem*, idque cum theoretice in explicando catechismo, tum practice infantes saepius ad tabernaculum ducendo et exemplo proprio. Nonne Christus Jesus ipse Cor suum nec non infinitum huius Cordis amorem nobis revelavit et quidem tamquam ultimum conatum ad redimendos illos, qui temporibus ultimis a Deo aversis redimi volunt?

Ideo *obsecramus* omnes pastores animarum, ut inprimis ipsi in corde proprio flammam ardentissimi amoris erga amantissimum Cor Jesu accendere adlaborent; nam si cor ipsorum frigidum manet, quomodo corda infantium accendere poterunt? quomodo qua apostoli cultus erga divinum Cor Jesu cultum hunc propagare studebunt?

Ne obliviscantur explicare parvulis convenienter ad eorum captum modum consecrandi totam vitam huic divino Cordi, atque per hanc consecrationem singulas actiones quotidianas elevare ad infinitum valorem et meritum pro tota aeternitate. Ideo provocabunt parvulos, ut precibus *matutinis* sequentem formulam, qua illa consecratio continetur, adiungant:

„O suavissimum Cor Jesu, per manus beatissimae Virginis Mariae preces, actiones et aerumnas praesentis diei offero primo Tibi ad reparandas iniurias illatas Tibi in ss. Altaris Sacramento et secundo Tecum Deo Patri in omnes illos fines, in quos Tu Ipse in Missae sacrificio Illi Te offers Amen.“

31. Meminerint sacerdotes, *necessarium quoque esse cultum b. Virginis Mariae*, quae est Mater Christi et quae talis thesauraria atque dispensatrix omnium gratiarum. Ideo parvulis saepe et ferventer de hac pia Matre loquantur atque nihil omittant eorum, quae apta sunt excitando amorem atque confidentiam erga hanc optimam et potentem Matrem et Dominam. Excitare conentur in parvulis flagrans desi-

derium, ut suo tempore adnumerari mereantur Sodalitati Marianae. Nonne experientia edocemur, ope huius Reginae Virginum facillime conservari primam innocentiam, perfectam castitatem?

§. 5.

De educatione domestica hoc tempore continuanda.

32. Pastoribus animarum *parentes* hoc quoque tempore *auxilium praestare tenentur*. Quare a parochis edoceantur, quomodo hoc quoque tempore educationem iam ab incunabilis inchoatam continuare et applicando varia media educationis convenienter huic aetati cum curatis concurrere debeant.

33. Prae omnibus edoceantur parentes, *quorsum educatio parvulorum huius aetatis tendere debeat*.

Sciant parentes infantes inclinatos esse ad malum, quod statim ab exordiis reprimi debeat, ne succrescat, atque in corde praedominetur. Ideo infantes invigilent atque mediis educationis doceant nec non adiuvent in reprimendis et debellandis malis inclinationibus. Vigili oculo prosequantur parvulos in locis, ubi soli commorantur, in ludo et conversatione cum sociis, fratribus et sororibus non exceptis, ne innocentia et pudicitia eorum detrimentum patiatur.

Continuent infantes suos educare ad sui abnegationem et omnimodam obedientiam, satagantque virtutes christianas in illis promovere. Inprimis studeant suaviter et fortiter in parvulis fovere veram religionem et sinceram pietatem per exercitium orationis atque cultum divinum. In omnibus vero exemplo proprio illis praeluceant. Quam ob rem non solum propter Deum, sed etiam propter infantes ipsi observent praecepta Dei et Ecclesiae, caveant ab altercationibus et discordiis, incumbant orationi, frequentent Sacramenta.

Parentes urgeant oportet, ut parvuli catechismum diligenter discant, quam ob rem de lectione cum illis loquantur atque de progressu a catechista sciscitentur.

Matribus commendatur, ut parvulos in *quotidiano examine conscientiae adiuvent*; quapropter non omittant ad vesperam post preces vespertinas illos de defectibus eodem die commissis commonefacere, atque ad resipiscentiam et deprecationem coram crucifixo exhortari.

Animarum curatores serio excitamus, ut parentes de obligatione, de modo, de mediis et fine educationis parvulorum omni data occasione instruant atque moneant.

Cap. IV.

De educatione iuventutis schola absoluta.

34. Schola absoluta educatio tum e parte parentum, tum e parte pastoris ne cesset, sed maiore cum providentia et prudentia continuetur. Nam crescente aetate pericula quoque crescunt vitae christianae, ita ut omnes fructus antecedentis bonae educationis brevissimo tempore amitti possint.

Adlaborare igitur contendat pastor animarum, ut tum *varia pericula*, quae iuventuti imminet, *tum media*, quibus periculis occurrendum sit, clare cognoscat.

§. 1.

De periculis christianae iuventutis.

35. Pericula sunt varia pro varietate locorum et circumstantiarum. Pastores curabunt, ut unusquisque pericula vitae christianae, prouti in sua parochia iuventuti imminet, cognoscat. Nos vero ad pericula magis communia pastores attentos reddere volumus.

a) Propria voluntas et superbia.

36 Cum parvuli ad aetatem pubertatis pervenerint, ob physicam evolutionem et physiologicam complexionem magis inquieti, incontenti, haud bene dispositi, morosi evadere solent. Talis intrinseca dispositio non dependet ab illorum

libertate, sed cum complexione corporis properantis ad plenam evolutionem intime cohaeret. Haud mirum, si parvuli ad obedientiam minus sunt dispositi, si parentes et superiores minus amare, atque minus revereri, imo diffidentia, aversione, hinc inde et odio prosequi incipiant.

Insuper robur corporis physicum, inprimis in puero, valde augetur; sentit scilicet vires suas, unde conscientia sui suique valoris et per consequens propriae aestimationis crescit. Haud mirum, si obedientia difficilior, si puer in moribus evaserit magis intractabilis, indomitus, atrox, ferox et quidem erga parentes, erga superiores, erga domesticos, erga coaetaneos.

b) Intemperantia.

37. Cum in iuventute vita corporalis valde ferveat, ideo sensualitas quoque crescit, quae praeprimis iuvenem ad varia corporalia oblectamenta trahit. Juvenis delectationibus inhiat, socios quaerit, occasiones avidè arripit. Proh dolor, quod moderna societas ita sit comparata, ut, praeprimis cauponae, ubi potus alcoholici venduntur, naturali inclinationi iuvenis satisfacere videantur.

Quid mirum, si iuvenes ad cauponas properant ibique alcoholicis potibus indulgent, et quidem sui obliti et alieno exemplo seducti, ultra fines a temperantia praescriptis indulgent. Quis ignorat, quot mala pro vita et familia christiana inde provenire soleant.

c) Impudicitia.

38. Sensualitas vero praecipue inclinatur ad ea oblectamenta carnis, quae ex magis familiari conversatione cum altero sexu oriri solent. Insuper pubertate adepta instinctus quoque naturalis unius sexus ad alterum fortior atque vehementior evadit. Unde fit, ut iuvenes et virgines invicem attrahantur, conversationemque mutuam et familiaritatem naturaliter concupiscant, quaerant, foveant. Accedit cogitatio et desiderium ineundi matrimonii et vitae coniugalis.

Quot pericula pro vita christiana, pro innocentia, pro verecundia inde oriuntur! Periculum eo maius est, quod sensualitas prae ceteris sensibus in toto corpore resideat, oblectamentum inde proveniens totum hominem pervadat et phantasia istis imaginibus commaculata cor hominis depravet nec non intellectum obscurat, ita ut iuvenis abyssum, in quam ruit, neque animadvertat.

d) Pravi socii.

39. Ubique variae pravae consuetudines dominari solent, quibus iuventus utriusque sexus vi quadam, cui haud facile resistere potest, implicatur.

Juveni honorificum videtur, si societati iuvenum adnumeratur atque in illam admittitur; dedecori sibi esse putat, et ignominiosum, si iuvenibus aetate provectionibus non adiungeretur. Ast cum sociis depravatis aggregatus fuerit, ipse quoque depravatur.

Pastores animarum bene sciunt, quales iuvenum confabulationes sint et cantilenae et actiones in cauponis, nocturno tempore in plateis et in variis congressibus, praeprimis si etiam puellae illuc conveniunt, uti fieri solet in cauponis, hinc inde in domibus privatis, occasione saltationum et quorundam operum, imprimis eorum, quae in seriam noctem protrahuntur.

e) Aversio ab Ecclesia.

40. Cum vero pastores animarum contra praefatas inclinationes iuventutis, imprimis contra praefatas pravas consuetudines agere obligati sint, ideo iuventus, praecipue iuvenis a sacerdote avertitur, sacerdotem fugit, quasi inimicum reputat odioque prosequitur.

Iuvenis passionibus occupatus diebus dominicis et festivis in ecclesiam quidem venit, ast ductus magis vi publicae opinionis, quam propria voluntate et persuasus, quod obligatus sit sub peccato gravi. Insuper fructum nullum neque e Missae sacrificio, neque ex auditu verbi divini reportat; occupat enim in ecclesia locum ad ianuam vel in variis

angulis, ubi nec orare nec praedicationem audire potest, immo saepe lubricis imaginationibus indulget.

Sacramenta quidem recipere solet, ast iterum coactus publica opinione magis, quam persuasione de Sacramentorum necessitate. Ideo ad illa non accedit nisi semel vel bis in anno; ob defectum praeparationis, ob defectuosam voluntatem vitae melioris Sacramenta vix digne aut ne vix quidem recipit. Interea passionibus inservit, in vitia immergitur.

Quia iuvenis gratia orbatus et auxiliis gratiae destitutus vivit, quomodo christiane vivere, quomodo e luto vitiorum emergere, ad vitam christianam assurgere posset?

§. 2.

De remediis contra pericula.

41. Pericula breviter recensuimus, licet animarum pastoribus nota sint. Intendimus autem profundiorum cognitionem periculorum praebere, ut illis cognitis pastores ad indefessam curam pro iuventute accensi, magis idonei et prout evadant, ut remedia arripiant, quae toties proposuimus, et nunc iterum proponere, commendare, illorumque usum enixe inculcare volumus.

a) De fine obtinendo.

42. Systematica educatio domestica et scholaris ab incunabilis usque ad dimissionem e schola multum adiuvabit iuventutem, ut caveat a periculis imminetibus, nec inermis variis occasionibus exponatur.

Quaeri debet modus, quo iuventuti etiam post dimissionem e schola media christianae educationis applicari possint: sc. institutio, bonum exemplum, fuga pravorum sociorum, admonitio, praeceptum, praemium, poena. Magis adhuc inquirendus est modus, quo iuvenes et puellae adduci possint, ut voluntarie et ex corde continent suscipere auxilia vitae christianae supernaturalia, quae sunt: oratio, auditio verbi divini, frequentia Sacramentorum.

Ne intellectus obfuscetur, neque voluntas paulatim omnino depravetur, *praeter orationem*, qua gratiae auxilia impetrantur et *praeter auditionem verbi divini*, *Sacramenta Poenitentiae et Ss. Eucharistiae quam maxime necessaria sunt*. Num poterit iuventus conservari in obedientia, humilitate, temperantia, pudicitia, fuga pravorum sociorum, nisi praefatae inclinationes naturales infra limites virtutis contineantur, atque omnes excessus inde ab initio, antequam voluntatem sibi subiugaverint, fuerint repressi? Ad hunc vero finem obtinendum fere unice, saltem quam plurimum confert primo Sacramentum Poenitentiae ope gratiae et boni patris confessarii, secundo Sacramentum Ss. Eucharistiae, si frequenter suscipitur.

Insuper nulli *parcatur labori, ne iuventus ecclesiam aversetur, pastores animarum fugiat*. In fine repelli quoque et vinci *debet timor et respectus humanus*, respectus sociorum, qui convitiis prolatis et terrore incusso iuniores a meliori vita retrahere, et ad vitam pravam, cui ipsi mancipati sunt, pertrahere conantur.

b) Associationes pro iuvenibus excolendis.¹⁾

43. Ad praedictum finem obtinendum conferent *associationes institutae pro excolendis iuvenibus*. In istas associationes numquam admittantur puellae; sed iuvenes soli congregentur, ut lectione ephemeridum et librorum, instructione, discussione et honesta recreatione in vita christiana contineantur, nec non a conventiculis periculosus praeserventur. Associationes vi organizationis aptae sint, ut inclinationibus iuvenum sc. ad sui conscientiam, ad maiorem libertatem, ad oblectamenta et amoenas recreationes et aliis eorum indigentis aliquam saltem satisfactionem praebere valeant.

Insuper, eo quod iuventus nobilibus ideis facile accenditur, pro labore ad bonum commune spreto commodo proprio prona invenitur, associationes sub hoc quoque respectu animum iuvenilem ad altiora elevare studeant.

¹⁾ Cfr. Škofijski List 1902, pg. 42 sqq.

44. Inde *monemus et in Domino adhortamur*, ut omnes sacerdotes cura animarum occupati tales associationes erigere contendant:

a) *Conficiant statuta* iam alibi in usum deducta, eaque gubernio provinciae approbanda proponant; insuper tum statuta, tum electus praeses Ordinario confirmandus proponatur;

b) *nulli parcant labori*, ut *locum* pro conventu aptum conducant, vel de novo erigant;

c) *curent*, ut ibi *bonae ephemerides*, atque *boni libri* dispositi inveniantur;

d) *instructione* de rebus pertinentibus ad communitatem, de variis litteris conficiendis, aliisque rebus utilibus iuvenum culturam promoveant;

e) *discussione* de eventibus quotidianis iudicium iuvenum acuere conentur;

f) *declamationibus vel brevibus sermonibus* eos ad actiones publicas praeparent;

g) *honestae recreationes*, varii ludi, etiam scenici permittantur, dummodo in illis iuvenes tantummodo, *exclusis puellis*, applicentur;

h) *ad sanctificationem festorum, ad fugam intemperantiae, ad frequentiore usum Sacramentorum iuvenes* promoveantur;

i) *triduanis exercitiis*, si fieri potest, iuvenes quotannis in vita christiana promoveantur;

k) *concursu iuvenum* ex variis parochiis in aliquo communi loco cum determinato programme iuvenes in bono confirmentur;

l) *praesides libenter consilia conferant invicem et cum moderatore episcopali.*

c) *Congregationes Marianae.*

45. Congregatio Mariana¹⁾ *summopere apta* invenitur, qua sodales in vita christiana non solum contineri, sed multum quoque promoveri possint.

Nam *sodales ad media obligantur christianae educationis*; ipsis enim praescribitur auditio verbi divini, quoti-

¹⁾ Škofijski List 1901, pg. 81 sqq.

diana oratio, praepreimis cultus b. Virginis Mariae, frequens susceptio Sacramentorum, fuga occasionum malarum.

Quia sodales specificum corpus ecclesiasticum constituunt, suosque praepositos duce pastore animarum sibi constituunt, facilius continentur, neque a pravis coetaneis eorumque conviciis timent, sed econtra sentiunt, se illis superiores esse. *Paulatim opinio quoque publica illis favorabilis, adversariis autem hostilis esse incipit.*

46. Quapropter *valde gaudemus* de tot congregationibus iam erectis, pastoresque animarum *instantissime rogamus*:

a) Ut sodalitates, ubi nondum erectae sunt, *erigant*;

b) ut erectas et constitutas *secundum statuta* dirigant;

c) ut in *recipiendis* novis sodalibus *caute* procedant, ne indigni cooptentur;

d) ut sodales *minus dignos moneant*, si non resipuerint, ad tempus, dein in perpetuum *excludant*; ut eos, qui statuta non observant, praecipue illos, qui inhonesta foedera ineunt, saltationes frequentant, nocturno tempore non quiescunt, post unam vel alteram monitionem ex albo sodalium deleant;

e) ut *scholares* suos inclinent, quod dimissi e schola nomen dent sodalitati;

f) ut *consilia conferant* invicem et cum moderatore dioecesano;

g) ut *praecipue in praeparandis ludis scenicis omnimodae verecundiae memores sint*, quapropter v. g. in ludo non adhibeantur nisi personae *eiusdem* sexus, ne puellae *sero vespere* ad ludum instruantur atque *noctu* domum ire cogantur, ut sacerdotes in remota, magis adhuc in *proxima* praeparatione ad ludum *omnem umbram* periculi fugiant.

47. *Iuvenes* praecipue curae pastorum commendamus. Terror incussus a sociis, timor strenuae pugnae contra pravas consuetudines, ne singulares videantur, frequentia Sacramentorum et falsa opinio, in sodalitate quamlibet, etiam honestam recreationem et hilaritatem esse vetitam, iuvenes a sodalitate retinet.

Curent animarum pastores, ut haec praeiudicia dispellantur. *Duplex via lucrandi iuvenes patet*:

a) *Associatio pro excolenda iuventute* est quasi praeparatio ad Sodalitatem Marianam, eo quod iuvenes in vita christiana et in reverentia erga Ecclesiam ejusque ministros contineat;

b) *aggregatio iuvenum sodalitati Marianae statim, ac e schola dimissi et nondum corrupti sunt*, licet timor adsit, ne paucos post annos solum natale saltem ad tempus relinquant; nam vitae christianae assueti et horrore vitiorum imbuti proni erunt ubique gentium pravos socios eorumque vitia fugere, bonis semet adiungere, mediaque vitae christianae non facile negligere.

d) *Associationes pro discipulis et adiutoribus opificum.*

48. Quis ignorat pericula, quae *in urbibus imminet pueris*, artis cuiusdam addiscendae causa illuc missis. Saepe saepius a dominis negliguntur, ad continuanda exercitia vitae christianae non impelluntur, immo haud raro retrahuntur; unde fit, ut cito et facile utpote sibi relictis, levitati indulgeant, a pravis sociis corrumpantur et ab ecclesia alienentur.

Urget caritas, ut his quoque miseris auxilium praebeatur; quem finem associationes pro discipulis opificum obtinebunt. Intendunt enim, adiuvere pueros in indigentis corporis, animae et vitae religiosae. Ideo in domo associationi destinata pueros singulis diebus dominicis et festivis congregant; ibique bonis libris, foliis periodicis, sermonibus, institutione pueros tum ad vitam christianam ducendam et ad vitia fugienda, tum ad maiorem scientiam pro arte sua necessariam comparandam efficaciter incitant; pro honesta quoque recreatione et hilaritate cura habetur; immo etiam ad parsimoniam per cassas parsimoniales suaviter alliciuntur. Associatio pueris domum paternam atque iucundam vitam domesticam pro posse substituere curat.

49. Quam ob rem *magnam merentur laudem illi viri generosi*, qui in nostra dioecesi curam talis iuventutis in se susceperunt et virtute vere heroica per plures annos sustinuerunt et nunc quoque sustinent.

Provocamus nunc pastores reliquosque sacerdotes *occupatos in urbibus*, ut in omnibus locis, ubi tales pueri in-

veniuntur, similes associationes constituere, laicosque idoneos in adiutorium sibi cooptare omnibus viribus contendant.

Associatione iam constituta curent, ut *illa regulis diuturna praxi iam comprobatis dirigatur*, curent inprimis pro honesta recreatione, pro sanctificatione dierum sanctorum, pro frequentiori susceptione Sacramentorum.

50. Simili modo curae pastorum commendamus *adiutores opificum*, qui iisdem, immo maioribus periculis expositi facile a via salutis aberrare possint.

e) Cassae parsimoniales.

51. Honestae aliqua recreatione humana natura indiget. Facile autem hac in re per excessum peccatur. Ubique dantur occasiones, quae fraudulentis illecebris imprimis iuventutem alliciunt, eamque ad varios excessus, ad varia vitia seducunt. Inter alia vitia etiam prodigalitas fovetur, unde paupertati lata porta aperitur.

Curent ergo sacerdotes, ut iuventutem ab excessibus in quaerenda recreatione, a prodigalitate avertant. Medium sat efficaciter ad hunc finem conducens *est parsimonia*, qua iuvenis imbutus abhorrescet prodigalitatem, ac perinde excessus in recreationibus, sicque a periculis multorum vitiorum praeservabitur.

52. Ideo magnum *sibi meritum in educanda iuventute comparaverunt illi magnanimi sacerdotes, qui fundatis cassis parsimonia libus, sic dictis „čebelice“*, ubi etiam minimae summae fructifere reponi possunt, *iuventutem ab illecebris retrahere*, a prodigalitate avertere, ad parsimoniam et laborem assuefacere conantur.

In Domino omnes pastores animarum *invitamus*, ut in singulis parochiis, praecipue in illis, ubi iuventuti occasio praebetur, labore sive in fabricis, sive in aliis artificiiis pecuniam sibi comparandi, tales cassas parsimoniales instituere, earumque vigilem curam habere non negligant.

f) Cura parentum.

53. Pastor animarum optatum finem non consequetur, nisi etiam *parentes educationem domesticam* hoc quoque

tempore spiritu christiano continuaverint. Ideo curatus parentes de obligationibus erga infantes iam puberes saepius instruere satagat.

Urgeant parentes, ne infantes e schola dimissi quotidianam orationem, auditionem ss. Missae et concionis negligant. Si infantes *ad pascua* mittuntur, pastores animarum non omittant qualibet data occasione in ecclesia, in confessionali, privatim serio monere, *ne pueri propter greges pascendos singulis dominicis et diebus festivis Missam et concionem omittant.*

Curent parentes tum verbo tum exemplo in corde filiorum et filiarum *sensum fovere reverentiae erga Deum*, erga res ad illum pertinentes, sensum abominationis intuitu verborum et actionum, quibus virtus honestatis, verecundiae, pudicitiae periculo exponitur vel laeditur, *sensum suae dignitatis et nobilitatis christianae*, quae cum indignatione respuit, quodcunque ad trivialitatem inclinat vel atrocitatem, ferocitatem sapit, vel luto vitiorum coinquinat.

Invigilent parentes filios et filias suas, ne in periculosas occasiones incidant; nullo modo illis frequentare permittant domus, ubi iuventus utriusque sexus convenire solet ad confabulationes, ad saltationes; invigilent prolem suam occupatam operibus in campis, in montanis, in vineis, resercentque omnes occasiones ad peccata contra castitatem.

Moneant parentes suos filios et filias, ut *nomen dent associationibus et sodalitatibus erectis pro iuventute in vita christiana conservanda*. Imprimis moneant illos, ut nomen dent Sodalitati Marianae; nam cultus beatissimae Virginis Mariae quam plurimum ad vitae innocentiam confert.

Parentes non desistant a quotidiana ferventi oratione pro puberibus suis infantibus, ut Deus, Iesus in Ss. Eucharistiae Sacramento, motus eorum precibus, proli eorum efficacissimas gratias ad illuminandum intellectum et movendam voluntatem concedere dignetur.

Sciant parentes ad praefata officia sub peccato obligari, nec esse absolutione dignos, si illa scienter negligenter.

Cap. V.

De cura pro nupturientibus.

54. Pericula gravissima imminent iuvenibus et virginibus, cum ad matrimonia ineunda cogitare incipiunt. Educatores coronidem diuturno suo labori imponent, si iuvenes et virgines innocentes ad matrimonia secundum voluntatem Dei perduxerint; *adhibeant ergo pastores animarum omnia media apta, ut nupturientes ad matrimonia ineunda rite disponantur.*

§. 1.

De sponsalibus.

55. Omni data occasione utantur sacerdotes, *ut iuventutem de via ad matrimonium secundum cor Dei edoceant.*

Cogitatio de matrimonio ineundo et de vita coniugali per se *non est peccaminosa*, nam obiectum eiusdem licitum est atque sanctum, utpote Sacramentum; ast *valde periculosa* fieri potest propter phantasticas imaginationes, quibus concupiscentia carnalis accenditur. Ergo hac in re nupturientes cauti sint atque verecundi, firmiterque proponant sibi, potius omnia perpeti, immo mori velle, quam ante copulationem actum aliquem illicitum admittere.

Sciant iuvenes et virgines, etiam *ad matrimonium vocationem necessariam* esse. Qui hebetis ingenii est, qui corpore debilis, aegrotans, qui valde pauper est, nec ulli labori assuetus, qui rei familiaris omnino ignarus, ad matrimonium ineundum non est vocatus, nisi hos et similes defectus prius deposuerit.

Iuventus omnem *familiaritatem cum altero sexu fugiat neque umquam ineat amicitias clandestinas*, nocturnas, neque sub praetextu vel iuramento futuri matrimonii. Nam tales amicitiae ansam praebent illicitis cogitationibus, pravis desideriis, obscoenis actibus, deflorationi virginali, ignominiae, desperationi.

Si iuvenis *uxore indiget et nuptiae brevi tempore celebrari* possunt, eligat sibi sponsam non attendens ad

externam pulchritudinem, ad magnas divitias, ad nobiles natales, sed ad virtutes animi, num puella verecunda sit et casta, obediens parentibus, pia erga Deum, industriosa, vitae domesticae amica. Oratione praemissa certiores reddat parentes de sua intentione et si tum parentes tum electa virgo consenserint, tunc sponsalia celebrari poterunt.

Tempore sponsalium sponsi ferventius orationi incumbant, Sacramenta percipiant, soli numquam commorentur, inprimis tempore nocturno non conveniant.

56. Cum tempus matrimonium praecedens tanti sit momenti, ideo de *sponsalibus sequentia statuimus*:

a) Licet sponsalia clandestina valida sint et omnes effectus iuridicos consequantur, *moneant* tamen animarum pastores, *ne sponsalia clandestina, sed publica in domo paterna contrahantur*. Nam sponsalia clandestina multis substant periculis et sub inani spe nuptiarum tot innocentes animae seducuntur. Ostendant apertissimum discrimen, in quo tum iuvenes tum puellae versantur, cum mutuis amoribus indulgent, illecebris futuri matrimonii falsaue ratione decepti pari levitate sponsalia ineunt, initaque dissolvunt.

b) Provocentur honestae virgines, ut *omni celeritate fugiant iuvenes*, qui noctu, vel in solitario loco absque testibus, vel etiam cum testibus illis insidiantur, atque sub praetextu futuri matrimonii licet sub iuramento ad impudicitiam et fornicationem pellicere illas conantur.

c) *Statuto die compareant sponsi coram parochio*, suumque votum illi exponant, ut omnia, quae ad matrimonium necessaria sunt, praeparare possit; desideratur, ut cum testibus compareant, maxime cum consanguineis matrimonio iam ligatis.

d) Parochus benigne illos recipiat atque *protocollum cum illis conficiat* secundum formulare in nostra dioecesi iam usitatum.¹⁾ Protocollum *ad acta parochialia* diligenter reponatur, ut istis impedimenta matrimonii, quae e sponsalibus emanant, facile demonstrari valeant.

¹⁾ Dioecesanblatt, 1876, pag. 35 sqq.

e) *Urgeat sponso*s, ut caste vivant, oratione et Sacramentis saepius sese communiant, omniaque ad nuptias necessaria praeparent, ut statuto tempore immaculati matrimonium contrahere valeant.

f) Sciant omnes, *sodalitatem Marianam valde efficax esse medium*, ut amicitiae peccaminosae evitentur, nec non sponsalia et matrimonia ad beneplacitum Dei et Ecclesiae celebrentur.

§. 2.

De nuptiis.

57. Noverint sponsi, *matrimonium esse Sacramentum vivorum, ideo in statu gratiae recipiendum*. Vae sponsis, si in statu peccati ad Sacramentum accederent, nam loco benedictionis coelestis, potius maledictionem divinam sibi contraherent.

Caveant etiam, ne dies matrimonii variis commensationibus diu protractis, aliisque lasciviis et impudicis saltationibus tempore nocturno ansam praebeat offensioni divinae.

58. Quam ob rem *statuimus*:

a) Urgeant parochi, ut sponsi iam *ante proclamationes confessionem generalem* totius vitae anteactae vel in ecclesia propria vel etiam aliena peragant; diebus nuptias proxime praecedentibus *iterum* contriti ad Sacramenta accedant.

b) Nullibi nuptiae eodem die celebrentur, quo proclamationes persolutae sunt, nisi *causa rationabilis* urgensque excusaverit.

c) Insistant parochi, ut copulatio *cum Missa* coniungatur et sponsae, si non est vidua, *benedictio matrimonialis* conferatur.

d) Convivia sint honesta; praeparentur domi, vel in casu difficultatis in diversorio honesto; non protrahantur ultra unam diem nec in seriam noctem, ne dies matrimonii peccatis propriis et alienis commaculetur. *Consuetudo contraria pro posse et paulatim aboleatur*. Cum saltationes tempore convivii nuptialis saepe valde periculosae sint, sponsi

suaviter admoneantur, ut a musicis conducendis abstineant et potius pauperibus elemosynam elargiantur ad conciliandam sibi benevolentiam Dei.

e) Omnino suadendum, ut nuptiae in *ecclesia parochiali* contrahantur.

f) *Usus magnorum sumptuum* occasione nuptiarum paulatim tollatur. Instructione ex ambone, praeprimis instructione in sodalitate Mariana nova consuetudo pro posse inducatur, vetus vero contemptui tradatur.

Titulus III.

De vita domestica, sociali et politica fidelium.

59. Iuventus vivit in familia; matrimonio novam condit familiam, in qua iterum proles nova ad vitam christianam informari debebit. *Patet, a vita in familia quam maxime dependere vitam infantium.*

Quapropter, ait Leo Pp. XIII.,¹⁾ summopere interest, ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus, in eaque religionis spiritus et vitae christianae ratio diligenter constanterque foveatur.

Familia vero in societate et statu vivit; quapropter eiusdem vita inde multum dependet et viceversa familia quoque in vitam socialem et politicam multum influit.

Ideo omnes pastores animarum in Domino adhortamur, *ut pro fovenda et defendenda vita domestica, sociali et politica omnem impendere satagant sollicitudinem.* Ut vero finis certius obtineatur, instructiones et statuta nunc proponenda unanimiter ab omnibus observentur :

¹⁾ Breve apostolicum de Associatione a Sacra Familia de 14. junii 1892; Škof. List, 1895, pg. 28.

Cap. I.

De consociatione a Sacra Familia.

60. Christiana virtus, scribit Leo Pp. XIII.¹⁾, tam est efficax tantumque pollet., ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo, quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur.

Quibus verbis Summi Pontificis excitati animarum pastoribus summopere commendamus *consociationem a Sacra Familia*, qua sanctissima exempla vitae domesticae ad imitationem proponuntur. Ideo singuli et omnes pastores animarum claram cognitionem *finis et statutorum, nec non spiritualium fructuum* huius associationis sibi acquirant.

§. 1.

De fine huius associationis.

61. Consociationi huic, docet Leo Pp. XIII.²⁾, illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere eo etiam consilio, ut scilicet Jesus, Maria et Joseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. *Qui in sociorum numero sint adsciti, debent ex instituto cum iis, qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare:* providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus, in amore Dei atque hominum vitam ad propositum exigant exemplum.

§. 2.

*De regulis praefatae consociationis.*³⁾

62. Ut finis obtineatur, a Vicario suae Sanctitatis regulae quaedam decretae sunt:

¹⁾ Breve apostolicum de cultu S. Familiae de die 20. junii 1892; Škof. List 1893, pg. 3 sqq.

²⁾ Breve ap. de 14. junii 1892, Škof. List, 1895, pg. 28, 29.

³⁾ Instr. ex aedibus Vicariatus de 8. jan. 1893, Škof. List, 1893, pg. 31 sqq. — Dein uberius Škof. List, 1895, pg. 30 sqq.

a) *Sedes* huius consociationis *Romae* figitur; praeses et protector est Cardinalis Vicarius suae Sanctitatis cum coetu virorum a consiliis.

b) *Episcopus dioecesanus* unum e sacerdotibus, quantum fieri possit, digniorem, *ad munus moderatoris eligat* eiusque studium ad promovendam associationem excitet, a quo edoceatur de omnibus, quae ad bonum associationis pertinent.

Moderator dioecesanus parochos opera et consilio iuvabit, ut pari alacritate et prudentia sese gerant. Ab unoquoque eorum saepe numerum et nomina exquiret familiarum, quae piae associationi fuerint adscriptae. Neque harum modo, sed et nomina descriptorum paroeciarum in tabulis recensenda curabit, et mox earum exemplar in urbem mittat.

In nostra dioecesi nomina familiarum moderatori dioecetano hebdomada post festum S. Familiae, quod dominica III. post Epiphaniam celebratur, exhibenda sunt.

c) *Parochi* moderatoris officium inter oves sibi creditas sumant obeantque; de suis negotiis cum moderatore dioecetano communicent.

Quotannis stato die — in nostra dioecesi *in festo S. Familiae* — *paroeciae familias recensere studebit* novosque, si fieri possit, in album societatis inscribendas curabit; decursu hebdomadis immediate sequentis nomina familiarum cum numero sociorum moderatori dioecetano palam faciet. *Hunc in finem librum sibi procuret*, ubi describitur numerus currens, nomen familiae, numerus membrorum, dies inscriptionis et nomen parochi vel adiutoris, qui familiam societati adiunxit.

Quo autem cultus familiae Nazarethanae honorque foveatur magis, *sermonem interdum de pia consociatione ad oves habebit*, quum in festis peculiaribus Domini, Deiparae ac S. Joseph, tum maxime, quum sodalium pactum erit solemniter renovandum, vel etiam quum in parochiali ecclesia religiosam aliquam eiusdem S. Familiae sollemnitatem celebrari contingat, quam et indicere et dirigere prudenti eius arbitrio relinquitur.

Idem, si opportunum videbitur, auxiliares viros ac mulieres moribus et pietate praestantes in partem laboris assumat, qui rei provehendae omni studio dent operam.

63. *Servanda a familiis adscriptis:* In honorem Nazarethanae familiae studeat, quicumque ei dederit nomen, similitudinem aliquam earum virtutum arripere, quarum Jesus, Maria, Joseph praeclarissima exempla dederunt, quum omnibus tum maxime iis, qui labore manuum victum quaerunt.

Sed ad illas in primis animum adiiciant, quae sanctitatem domesticae societatis spectant, ut sunt mutua caritatis officia, praesertim inter coniuges, filiorum recta institutio, horum obedientia et obsequium in parentes, pax et concordia domi aliaeque huiusmodi.

Itaque a vitiis omnino caveant, ab iis maxime, quae singularem infamiae notam christiano homini inurant, cuius generis sunt impia verba aut obscoena, ebrietates, incompositi mores hisque similia.

Ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentum solemnioribus saltem anni diebus pie accedant, praesertim quo die familiarum consecratio renovabitur.

Ecclesiae praecepta, in tanta morum corruptela tam parvi habita, suaviter curabunt observari, ea potissimum, ex quorum custodia aliis bona exempla derivant, uti auditio Sacri festis diebus, abstinencia a cibis vetitis, aliaque eiusmodi.

Peculiari honore celebranda curabunt festa piae consociationis propria, quae plenaria indulgentia a Summo Pontifice fuere ditata, in primis solemnem constitutum diem in honorem S. Familiae, sc. Dominica III. post Epiphaniam, quo ritus consecrationis renovabitur.

Dent operam, ut semel saltem in die ante Sacrae Familiae imaginem communes fundantur preces, in quibus praecipua ratione commendatur Rosarii in honorem Dei-parae recitatio.

Praefatae pietates commendantur omnibus sociis, nullo tamen eorum onerata conscientia.

64. Omnes et singulos parochos *valde hortamur*, ut spiritu harum regularum semet imbuant nullique parcant

labori, ut exemplo, verbo, solemnitatibus, oratione et frequentatione Sacramentorum christianam vitam in familiis promovere studeant. Indulgentiis quoque a Summo Pontifice concessis familias suaviter alliciant, ut dato nomine consociationi condiciones adimpleant, quae ad lucrandas indulgentias necessariae sunt.

§. 3. 1)

De indulgentiis huius Associationis.

65. Sodalibus consociationis S. Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et parochialem aedem vel oratorium publicum devote visitaverint, ibique aliquamdiu ad mentem Summi Pontificis orando perstiterint, indulgentiam *plenariam* consequendi ius est diebus, qui nunc describuntur:

I. Die, quo consociationem adierint emissa consecrationis formula a Pontifice probata.

II. Die, quo generalis conventus ad sodalium pactum renovandum habetur.

III. Diebus festivitatum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. J. C.; Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis B. M. V.; item in festo S. Joseph, in die Patrocinii eiusdem, die Desponsationis B. M. V., die festo titulari universae associationis; semel singulis mensibus, dummodo mense ipso in familiis praescriptas preces coram S. Familiae imagine una simul recitaverint; denique morituris, si non compotes sacrae Confessionis atque Eucharistiae, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum Nomen Jesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

66. *Partiales* quoque indulgentiae 7 annorum et totidem quadragenarum conceduntur sodalibus, si corde saltem contriti parochialem ecclesiam, in qua est sedes consociationis constituta, vel aliquod templum, sacrariumve celebraverint in die Visitationis, Praesentationis, Patrocinii B. M. V.; dein

1) Breve apost. de cultu s. Familiae die 20. junii 1892; Škof. List, 1893, pg. 3 sqq.

quolibet die, si coram imagine S. Familiae statas preces corde contrito recitaverint; denique diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

Iidem Sodales indulgentias lucrentur tercentorum dierum, quoties corde contrito ante imaginem S. Familiae quocunque idiomate recitaverint orationem: „O amantissime Jesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus . . . 1) Si vero sodales infirmitate vel alia causa impediti hanc orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam et Salutationem angelicam cum Gloria Patri.

Indulgentiam ducentorum dierum lucrabuntur sodales semel in die pro iaculatoria prece: Jesus, Maria, Joseph illuminate nos, succurrite nobis, salvate nos. Amen.

Centum annorum indulgentiam lucrifacient sodales, qui operam dederint, ut christianae familiae huic piaee associationi se adscribant.

Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: *a)* in propria ecclesia sacrificio Missae vel aliis exercitiis devote adstiterint, *b)* vel quinquies recitaverint Pater et Ave pro defunctis sodalibus, *c)* vel familiarum dissidia composuerint vel componenda curaverint, *d)* vel familias a iustitiae tramite devias in viam salutis reducere studuerint, *e)* vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint, *f)* vel aliud pium opus peregerint, quod in bonum associationis cedat.

Omnes praedictae plenariae et partiales indulgentiae animabus in Purgatorio applicari possunt.

67. Privilegia quoque sodalibus conceduntur; et quidem

a) Missae, quae pro sodalibus defunctis celebrabuntur, iisdem suffragentur, ac si in altari privilegiato celebrarentur;

b) parochis conceditur privilegium altaris personalis tribus in hebdomada diebus, si tali privilegio nondum fruantur;

1) Vide Škof. List 1893, pg. 4 textum latinum; 1895 pg. 32. sq. versionem slovenicam et germanicam.

c) iisdem parochis conceditur facultas benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixa, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi indulgentias, quas Summi Pontifices attribuere iis solent; sed haec facultas non potest exerceri nisi pro sodalibus et quidem quando hanc consociationem ingrediuntur et quando solemniter renovatur pactum consecrationis.¹⁾

68. *Monemus parochos*, sive per se sive per alias pias personas familias suae parochiae alliciant in associationem a S. Familia. Summus Pontifex Leo XIII. hanc aggregationem valde desideravit, quam ob rem iterum atque iterum parochorum curae eam commendamus.

Nunc vero aliquas virtutes, quas familiae ad exemplar S. Familiae exercere contendant, proponemus et nonnulla officia, quae in primis nostrae aetati necessaria sunt, adimplenda inculcabitur.

Cap. II.

De oratione domestica.

69. De dogmate est, quod homo adultus sine oratione salvus fieri non possit. Ad salutem enim aeternam necessaria est gratia, quam Deus ordinarie nonnisi petentibus concedere solet. Insuper oratione confitetur homo absolutam suam dependentiam a Deo Creatore, quare Dei dominium, immo Deum ipsum negare videtur, qui non orat.

Ideo *pastori animarum obligatio incumbit, quod fideles de officio orandi saepe et instanter moneat et doceat*. Requiritur autem praeter orationem publicam etiam communis oratio domestica, quae non solum in urbibus saepissime, sed etiam ruri haud raro saltem a singulis familiae membris omittitur. Sacerdotes orationem domesticam urgeant.

§. 1.

De communi oratione domestica.

70. Noverint sacerdotes multum interesse, ut *consuetudo orationis domesticae et quidem, saltem vespere consue-*

¹⁾ Formulam consecrationis eiusdemque renovationis vide in Škofij-ski List et quidem latine a. 1893, pg. 5; slovenice et germanice a. 1895, pg. 32.

tudo orationis communis ubique servetur, vel si neglecta fuerit, iterum inchoetur.

Nam oratione communi character christianus familiae conservatur. Ubi oratio vilipenditur, sensus religiosus, vera pietas, timor Dei brevi exulabunt; simul cum iis e familia etiam gaudium, hilaritas, spiritus contentus aufugiet, licet honor et divitiae et voluptates remanserint. Nam sola religio internum valorem vitae eiusque occupationibus conciliat; vera pietas familiam in variis laboribus, curis, anxietatibus conservat quietam; timor Dei vero homines impellit, ut omnia officia sua propter Deum hilari et forti animo adimpleant.

Praeterea communis oratio ad bonam educationem prolis multum confert. Nam oratione sensus religiosus in parvulo excitatur, timor Dei in illo sustentatur, reverentia quoque erga parentes fovetur. Idem valet de famulis.

Denique oratio communis valde proficua est, ut pax in familiis servetur, vel diruta iterum restituatur.

§. 2.

De oratione matutina.

71. Urgeant sacerdotes orationem matutinam, quae nunquam, neque tempore urgentioris laboris negligatur, utpote quae valde brevi tempore absolvi possit. Saltem parvuli duce matre, vel maiore fratre sive sorore communi orationi assuescant.

Moneantur fideles, ut *cum oratione matutina a) bonam intentionem, b) firmumque propositum coniungant.*

Nam *bona intentione* omissa incurritur periculum, ne labores diei motivis mere naturalibus peragantur, atque propterea pro vita aeterna nullius sint valoris. Quantum damnum! Assuescant omnes fideles, ut formula iam nota totum diem divino Cordi Jesu offerant.¹⁾

Bonum autem propositum vitandi peccata, praecipue *peccata consueta*, multum conferet ad emendationem vitae, ad praecavendas lites, ad removenda varia scandala, imprimis scandala iuventutis per turpiloquia.

¹⁾ Škofijski List 1902, pg. 12.

§. 3.

De oratione vespertina.

72. Vespere statuto tempore tota familia in habitaculo ante Crucifixum, vel *ante imaginem S. Familiae* congregetur ad precem vespertinam, quae semper communis sit. Neque haec oratio unquam sub praetextu defatigationis vel alio negligatur.

Pastores non desinant fidelibus inculcare, *ut s. Rosarium recitent*, cuius recitationem Leo Pp. XIII. toties tam instanter omnibus commendavit, quique desiderat, ut membra associationis S. Familiae rosarium ante imaginem huius S. Familiae insimul recitent.

Assuescant omnes fideles, ut orationi vespertinae *breve discussionem conscientiae adiungant cum dolore supernaturali perfecto*; nam haec quoque pia consuetudo ad emendationem vitae, ad reconciliandam amicitiam, ad propitium reddendum Deum, ad praeservandum hominem ab infelici morte multum adiuvabit.

§. 4.

De salutatione angelica.

73. Pulsu campanae singulis diebus ter repetito serio admonemur, ut infinitae misericordiae Dei, quae *per incarnationem Dei* tam splendide semet manifestavit, grato animo recordemur. Proh dolor, multi erubescunt caput detegere et oratione salutationis angelicae gratos se exhibere. Quam falsam et indignam erubescuntiam sacerdotes publicis et privatis monitionibus tollere conentur, atque fortiter instant, ut omnes, praecipue parvuli, salutationem angelicam recitent et omissionem reputent ignominiosam.

§. 5.

De oratione ante et post mensam.

74. Periculum quoque adest, ne *oratio ante et post mensam* omittatur. Moneantur patres familias, ne orationem hanc unquam omittant, sed curent, ut ab omnibus simul peragatur. Nam cibum a Deo habemus, ergo gratias illi

agere obligati sumus; insuper comedere nobis non licet solummodo propter delectationem, vel propter gulam, sicuti animalia agunt, sed propter fines altiores, ad quos oratione assurgimus, simulque ad temperantiam excitamur ad eamque robur accipimus.

§. 6.

De domo christianae familiae.

75. In *qualibet domo*, ubi familia christiana degit, *sint ornamenta christiana*: imagines Crucifixi, Ss. Cordis Jesu, B. V. Mariae et variorum Sanctorum, nec non *vasculum cum aqua benedicta* ad frangendum influxum diaboli, ad obtinendas gratias poenitentiae, ad avertenda mala quoque temporalia, in quantum Deo placuerit.

Pastores animarum ornamentis domus christianae sollicite invigilent, ne imagines et picturae plus minusve obscenae in illas intrudantur, prouti, proh dolor, in familiis maioris civilitatis persaepe fieri solet et quales per varios agentes haud raro etiam ruri circumferuntur.

Cap. III.

De sanctificatione dierum festivorum.

76. De S. Familia legimus, quomodo diebus festivis omnia persolverit, quae a Deo praescripta fuerunt. Multum interest, ut quaelibet familia christiana in *diebus festivis praecepta Dei et Ecclesiae adimpleat, nec non a variis abusibus*, quibus dies Deo sancti dehonestantur, *abhorreat*.

§. 1.

De gravitate obligationis.

77. Dies dominica Domino Creatori et Redemptori consecratur; ideo omnes obligantur, ut servitio Dei illam impendant.

Moneantur fideles, ipsos a *lege divina et ecclesiastica* sub gravi peccato teneri ad cessationem ab operibus servilibus et ad devotam auditionem integri sacrificii s. Missae.

Lege naturali obligati sunt audire verbum divinum, quod in ecclesiis praedicatur, ne illud oblivioni dent, sed in dies clarius cognoscant, atque ad vitam convenientem accendantur.

Ne fideles otio indulgeant, verbis gravibus invitentur ad pomeridiana pia exercitia, sc. ad catechesin, litanias et benedictionem, nec non ad adorationem Ss. Sacramenti communem et publicam, inprimis qualibet prima dominica mensis, ast etiam aliis dominicis, ubi talis adoratio peragi solet.

Valde optatur, ut tota familia domi congregata piis confabulationibus de concione, de catechesi, vel etiam pia lectioni operam det. Praecipue *parvuli et puellae iusto tempore domi compareant; at viri quoque et iuvenes absentiam suam in multam noctem ne protrahant*; a recreatione sibi concessa, cui praecipue in variis associationibus, non vero in cauponis indulgeant, ad coenam et orationem vespertinam, nisi semper saltem ordinarie domum redeant.

Ita dies dominica revera sanctificabitur, suumque obtinebit finem: fideles corpore reficiuntur, animo ad coelestia eriguntur, per instructionem, orationem et pietatem quamplurimum excoluntur, solatio implentur, ad novosque labores idonei redduntur.

§. 2.

De abusibus.

78. Proh dolor, diebus dominicis et festivis *varii abusus* irrepserunt, quibus isti dies dehonestantur, Deus offenditur, boni mores corrumpuntur. Huc pertinent:

1. Cauponae.

Computationes in cauponis his diebus protrahi solent in seram noctem, unde saepe ebrietas sequitur iuvenum et virorum, rixae, clamores nocturni, vulnera, caedes.

Animarum pastores nulli parcant labori, ut isti abusus nisi omnino tollantur, saltem quam plurimum imminuantur. Ast quid faciendum?

Admonitiones publicae et privatae, missiones quoque revera multum proficiunt, sed experientia docente non sufficiunt. Ideo pastores animarum monemus, ut ad alia media recurrant:

a) Sedulo et *via systematica incumbant educationi tenerae iuventutis*, in cuius corde timorem, horrorem et abominationem ebrietatis, rixarum, vulnerum, clamorum nocturnorum excitare studeant;

b) antequam iuvenes corrumpi possunt, ergo *statim postquam e schola fuerint dimissi, inscribantur in Marianam congregationem et deinde in associationes pro iuvenibus*;

c) ope congregationis et associationum *meliores quoque inter iuvenes aetate provectiores a pravis sociis separantur*;

d) assuescant *frequentiori usui Sacramentorum*;

e) moneantur parentes, *ne ullo modo iuvenibus pubertate adeptis permittant, cum magis adultis suspectas amicitias inire*, sedere in cauponis, vagari et clamare per plateas; ab initio malo occurratur, ne ingravescat. Qua de re parentes rationem reddant in Sacramento Poenitentiae;

f) praecipue *caupones serio et severe provocentur, ne ebriis*, vel quos huic vitio deditos noverint, *potum tribuant et ut determinato tempore domum suam claudant*; confessori cauponum strenue et concorditer secundum probatos doctores procedant, nec absolutionem facili modo impertiantur iis, qui ansam tot peccatis praeberere solent;

g) *praepositos quoque communitatis familiariter et private instruant* atque moneant, ut sua auctoritate et legibus omnes excessus iuventutis et cauponum cohibere adlaborent.

2. Saltationes.

79. *Saltationes* institui solitae diebus dominicis, praecipue ad ecclesias filiales, vel etiam parochiales in patrociniis earum, *multa mala progignunt*.

Notum est vobis omnibus, *saltationes* tum in se, tum propter circumstantias *valde periculosas esse*. Saltationes

sensualitati valde placent; afferunt enim hilaritatem, excitant spiritus vitales, irritant sensus, satisfaciunt instinctui sociali atque inclinationi ad maiorem libertatem, satiant demum occultum instinctum sexualem et quidem ad speciem modo haud illicito. Quam ob causam saltationes amantur et imprimis incautam iuventutem vehementer alliciunt.

Ast recte propterea valde periculosae sunt: inducunt ad dissipationem, ad laetitiam immoderatam, ad levitatem in gestibus et sermocinationibus, ad intemperantiam in potu. Immo *sensualitas*, quae corpori jucunda est et amoena, accenditur, inflammatur; inde pravae cogitationes, peccaminosa desideria, impudici aspectus, saepe sermones quoque obscoeni et tactus. *Raro fit*, ut saltationes inprimis nocturnae absque peccato, saltem interno instituantur; ad minimum fomentum concupiscentiae accenditur, vel saltem excitatur. Et quia *delectationis sensualis organum totum corpus est*, ideo *totum corpus ad libidinem inclinatur*, phantasia maculatur, cor corrumpitur, intellectus obscuratur.

Saltationes *tempore festivitatum ecclesiasticarum* ob aliam quoque causam iuventuti summo periculo esse solent: ad tales festivitates sc. undique concurrunt iuvenes iam corrupti, quorum non interest festivitas, instituta ad gloriam Dei, ad salutem animarum, ad honestam recreationem et hilaritatem familiarum, sed qui unice delectationi carnali, voluptati peccaminosae inhiant.

Idem valet de quibuslibet *saltationibus in tabernis, vel in domibus privatis*, ad quas cuilibet liber accessus patet. Minus periculosae sunt saltationes, ad quas non apparent nisi invitati et quidem non solum iuventus, sed integrae familiae, ergo parentes cum prole; ast etiam tales *tantummodo tolerari*, numquam vero probari possunt.

80. Propter praefata pericula ecclesia saltationes numquam commendavit, sed verbis potius gravissimis semper dissuadebat. Nos quoque in visceribus nostris miseratione erga fideles, praecipue erga incautam iuventutem, commoti *decreta contra saltationes occasione patrociniorem edidimus.*¹⁾

¹⁾ Škofijski List 1900, pag. 72. 84.

Nam functiones sacrae nullo modo occasionem peccatorum proximam atque ansam praebeant! Nunc illa decreta renovamus atque *stricte servanda* mandamus:

a) Patrocinium *apud ecclesiam filialem* permittitur, si *vitrici* illius ecclesiae parochi iusto tempore fidem dederint, fore ut neque musici advocentur, neque sub ullo praetextu sive in cauponis, sive in domibus privatis saltationes instituantur;

b) si haec promissio data non fuerit, *eodem anno* solemnitas patrocinii prohibetur;

c) si vero talis promissio *falsa* fuerit, et nihilominus saltationes inscio quidem parochi, at sciente communitate occulte praeparabantur, posteaque revera habitae sunt, tunc patrocinium per sequentes tres annos interdicitur;

d) si autem *inisciis incolis* musici advenerint et festivitatem in ecclesia finita eodem die musici et caupones vel aliae personae ad saltationes invitaverint, tunc incolae, eo quod absque culpa sunt, non puniantur, si iuventutem suam a saltatione retrahere conati fuerint, remque statim ad parochum detulerint;

e) etiam occasione patrociniorum vel aliarum festivitatum *apud ecclesias parochiales* saltationes severe prohibentur; absolute nolumus, ut festivitates ecclesiasticae ansam praebeant offensioni divinae et damno spirituali, nec non corporali fidelium; parochi opportuno tempore parochianos de hac prohibitione certiores reddant omnesque morigeratos patres familias, immo iuvenes et puellas provocent, ut propter Deum et animae propriae salutem a saltatione abstineant, et nonnisi honestam hilaritatem et recreationem praepremis in domibus parentum vel consanguineorum exoptent, seligant et permittant. Si non obstante hac prohibitione saltationes, immodicae compotationes et forsitan caedes locum habuerint, *parochi ad Ordinariatum referant.*

Cap. IV.

De frequentia Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae.

81. Vita moralis, praecipue vita perfectior ab usu Sacramentorum s. Poenitentiae et Eucharistiae dependet. Propterea desuper necessaria statuere volumus.

§. 1.

De fructu et necessitate horum Sacramentorum.

Nonne Sacramentum Poenitentiae peccata et poenas remittit, gratiam sanctificantem cum virtutibus et donis restituit vel auget, speciales gratias contra relapsum tribuit? Nonne hoc Sacramento infantes ad obedientiam, coniuges ad patientiam et fidem coniugalem, omnes homines ad iustitiam quoad bona famae, possessionis, corporis, animae efficaciter moventur? Nonne hoc Sacramento passiones domantur, occasiones peccatorum resecantur, pericula remouentur?

Et quis ignorat excellentes fructus ss. Eucharistiae? Nonne voluntas, cuius imperio omnes reliquae facultates intrinsecae et extrinsecae subditae sunt, divino amore ex praesentia Christi accenditur, ad bonum inclinatur et roboratur, a malo avertitur, contra peccata gravia praeservatur, a levibus purgatur? Nonne hoc Sacramento gratia et auxilia gratiae ad vitam spiritualem necessaria augentur? Nonne ipse Dominus dixit, quod vitam non sit habiturus, qui de hoc pane non comederit?

82. Unde facile perspicitur, cur tot fideles nostrae dioecesis, praecipue viri et multo magis iuvenes, servi sint passionum et vitiorum. Nonne propterea, quia a Sacramentorum frequentiori susceptione retinebantur, contenti, si semel vel bis ad illa accesserint? Nonne certum est, passiones aliquas, praeprimis inclinationem ad voluptates carnales, ad ebrietatem et fornicationem tam vehementes esse, ut

absque speciali auxilio divino superari non possint? Ast unde tale auxilium, si iuvenes et viri Sacramenta fugiunt, orationem negligunt vel mechanice tantum peragunt? Quid mirum, si vitiis mancipati verbum Dei non gustent, admonitiones parentum et sacerdotum spernant, gratia orbat et intellectu obscurati ignominiam suam non cognoscant, aeternitatis nullam curam habeant, in peccatis et vitiis voluntarie, obstinate vivant?

Propterea *Vos omnes in Domino obsecramus*, ut visceribus commotis omnem sollicitudinem adhibeatis, in orationibus et meditationibus lumen quaeratis atque robur et fortitudinem, ut huic malo efficaciter occurrere valeamus. Ideo bene perpendatis omnia, quae de educatione iuventutis inde a conceptione usque adultam aetatem diximus et mandavimus, quaeque de vita in societate domestica protulimus et adhuc prolaturi sumus. Nunc omnes monemus ad laborem et quidem indefessum, provenientem ab intrinseca persuasione ad vitam christianam et salutem aeternam frequentiore usum Sacramentorum summopere esse necessarium

§. 2.

De usu horum Sacramentorum.

83. Agitur praecipue de frequentatione ss. Sacramenti Eucharistiae. Edoceantur fideles, quid *sancta Mater Ecclesia*, *quidque auctores ab illa probati*¹⁾ de frequentiori ss. communionem sentiant.

84. Ex *mente Ecclesiae* communio frequens fidelibus enixe suadenda est. Quoad s. communionis usum duo statuit: primo ut semel tantum in die, deinde ut semel saltem in anno s. communio sumatur. Intra hosce limites ipsa nihil quidem praecipit, attamen omnibus modis ostendit se valde optare, ut fideles ad sacram communionem frequenter accedant.

¹⁾ Cfr. Noldin, Summa theol. moralis t. III. pag. 160 sqq.; Schüch, Pastoraltheologie pag. 701, sqq.; Instructio Eystett. pag. 52. 244.

Concilium Trident. 1) optat, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicent; et catechismus Romanus 2) monet parochos, ut fideles crebro hortentur ad frequenter summendam s. communionem. Innocentius Pp. XI. in celeberrimo decreto „Cum ad aures“ 3) reprobavit prohibitionem frequentis communionis in nonnullis dioecesibus factam propter abusum, qui ex quotidiana communione irreperant; deinde decernit, statum laicalem vel maritalem non impedire frequentem communionem, quae ab animae dispositione unice dependeat; denique statuit, iudicium de interiori dispositione et ideo de frequentia communionis in particulari casu relinquendum esse confessario.

Perpendant parochi, et sacerdotes omnes, contra mentem Ecclesiae agere, qui omnibus indiscriminatim fidelibus frequentem communionem ideo solum negant, quia frequens est, et qui s. communionem non distribuunt, nec distribuere permittunt nisi diebus dominicis et festis.

85. Ecclesiam matrem secuti *optimi auctores de frequenti s. communionem* sequentia statuunt:

a) Pastor animarum omni sollicitudine agat procurare, ut *fideles omnes absque exceptione saltem omni tertio mense ad Sacramenta accedant*;

b) *communio menstrua nemini digno neganda, omnibus suadenda*; ad eam enim non requiritur nisi ordinaria dispositio; est vero suadenda, quia fideles secus vix aut ne vix quidem a peccatis gravibus immunes servari poterunt, imprimis si iam consuetudinem alicuius peccati contraxerunt vel in gravi occasione vivere coguntur;

c) *communio hebdomadaria paucis neganda, plerisque suadenda*. Dispositio ad hanc frequentiam requisita est habitualis immunitas a peccato gravi, quae exigit, ut peccatum grave raro committatur, et aliquis saltem conatus cavendi

1) Sess. 22. cp. 6.; sess. 13. cp. 8.

2) Pars II. c. 4. 9. 58.

3) De die 12. febr. 1679.

peccata levia adhibeatur, etsi cura acquirendi maiorem perfectionem desit. Fructus communionis hebdomadariae experientia docente est praeservatio a peccatis gravibus talis, ut numquam vel raro tantum committantur. Indigent tali frequentia personae, quae periculis saeculi magis sunt expositae; necessaria autem est personis, quae vitiis sunt immersae, fortasse occulto vitio luxuriae, vel quae in proxima occasione necessaria vivunt. Neganda autem est communio hebdomadaria iis, qui affectum ad mortalia habent, ideoque frequenter in ea labuntur, nisi ex interna fragilitate et vehementi tentatione labuntur et voluntatem seriam, contra peccata dimicandi, ostendunt; pari ratione neganda est iis, qui venialia non curant, nullumque conatum adhibent venialia emendandi, qui ergo in statum tepiditatis advenerunt nec ullum medium adhibent ex illo statu emergendi, quae e. gr. in perpetuis rixis, detractationibus, inimicitiiis, superbiis vivunt;

d) communio frequens sc. saepius in hebdomade pluribus neganda, paucis concedenda. Ad illam requiritur primo, ut sublatus sit affectus ad venialia deliberata, quae proinde ordinarie non committantur; secundo ut serius conatus adhibeatur proficiendi in perfectione et virtutibus, qui exigit, ut duo essentialia media perfectionis, oratio et mortificatio sensuum atque passionum, diligenter usurpentur; et quo maior est frequentia communionis, eo perfectior debet esse haec dispositio. Ergo frequens communio ei neganda non est, qui ex fragilitate quandoque in veniale deliberratum cadit, sed cito dolet et emendationem proponit; ei autem neganda est, qui non conatur serio emendare venialia, nec profectum spirituales serio desiderat, qui adhaeret voluptatibus sensuum vel pravis inclinationibus, qui theatra et choreas sine necessitate frequentat, libros periculosos legit, vitiis linguae indulget, aegre obedit, impatientem se ostendit, honores mundanos captat et similia;

e) infantes ante 13. vel 14. aetatis annum ordinarie contenti sint communione menstrua, nec facile frequentius admittantur, ad summum qualibet secunda dominica; nam primo nondum urget necessitas medii contra gravia pec-

cata, quibus tales infantes ordinarie nondum expositi sunt, et secundo nondum capaces sunt percipiendi sanctitatem huius Sacramenti, quapropter valde periculum mechanicae communionis imminet.

86. Volumus, ut *confessarii omnes secundum regulas praefatas procedant, populumque hoc sensu saepius instruant*, ut instructione et aliis aptis mediis ad frequentiore usum Sacramentorum inducatur atque robur accipiat contra peccata gravia.

*Praecipue vero obsecramus omnes pastores animarum, ut omne conamen adhibeant, quomodo viros et maxime iuvenes in prima aetate frequentiori usui ss. Eucharistiae assuefaciant.*¹⁾ Non deficiant animo, si primi conatus fuerint frustranei; oratione ad B. V. M. et Ss. Cor Iesu in tabernaculo obtinebunt gratiam necessariam pro se et pro illis, pro quibus orant.

Cap. V.

De mediis ad vitam christianam.

87. Ut vero fideles ad frequentiore usum Sacramentorum suaviter alliciantur, a pravis occasionibus fortiter retrahantur, ad omnem virtutem efficaciter impellantur et roborentur, sancta Mater Ecclesia *varias devotiones cum plurimis indulgentiis* instituit.

Ex omnibus devotionibus enumerabimus, immo enixe commendabimus illas, *quae medendis vulneribus nostrae aetatis prae ceteris aptae sunt.*

§. 1.

De cultu Ss. Eucharistiae.

88. Firmiter credimus in ss. Altaris Sacramento Iesum Christum, Deum et hominem vere, realiter et substantialiter esse praesentem. In hoc amoris Sacramento Dominus Iesus

¹⁾ Cfr. Schüch, Postoraltheologie pag. 705; Škofijski list 1900 in appendice ad n. III., pag. 4. sqq.

factus est sacrificium pro peccatis nostris, desideratque fieri cibis pro animabus nostris; suavis verbis vocat nos ad se, ad thronum gratiae et misericordiae.

Facile intelligi potest, nos omnes ad visitationem Illius revera moraliter esse obligatos: si Deus ipse diu noctuque in medio nostri commoratur et quidem nostri causa, infinito amore nostri ductus, quomodo fieri posset, ut a nobis omnino derelinqueretur, ut nos ad Illum venire, et quidem saepe venire cunctaremur.

Et tamen Dominus Jesus in ss. Sacramento saepissime manet solus, derelictus, fors omnino neglectus; fideles intenti solummodo curis huius vitae terrestres Redemptoris animarum suarum sunt obliti; ad mensam coelestem plurimi raro ventitabant, ad persuasum officium Illum invisendi paucis exceptis ne cogitabant quidem, immo nec ecclesiam, nec tabernaculum curabant.

Sed Deo sint grates, quod nostris temporibus amor Christi inflammari coepit. „Libet profiteri, ait Leo Pp. XIII. 1), quod proximis hisce annis fidelium animi ad amorem et obsequium erga Eucharistiae Sacramentum renovari coepisse videantur. Multa enim id genus et varia . . sollers induxit pietas, sodalitates praesertim vel eucharisticorum rituum splendori amplificando, vel Sacramento augusto dies noctesque assidue venerando, vel illatis eidem iniuriis sarciendis.“

89. Etiam in dioecesi nostra cultus Ss. Eucharistiae incrementa magna coepit imprimis *ope Sodalitatis ab Adoratione perpetua*, quae anno 1859 Labaci erecta fuit, quaeque nunc ultra centum duo millia membrorum numerat. Recentissimis temporibus usu venit *adoratio communis* vel omnium fidelium simul, vel per diversos status, qui se invicem excipiunt.

90. Cum vero talis amor Domino Jesu exhibitus absque laetissimo fructu pro vita christiana esse nequeat, ideo *summo opere desideramus*:

a) ut *Sodalitas ab Adoratione perpetua* a sacerdotibus in populo ubique promoveatur; animarum pastores ducti

1) In perpulchra Encycl. „Mirae caritatis“ de 28. Mai 1902.

ardenti amore erga Dominum Jesum onus cum promotione huius Sodalitatis coniunctum ne recusent, sed nomina sodalium libenter in librum Sodalitatis inserant, pecunias colligant et ad moderatorem dioecesanum dirigant;

b) ut *externa pompa in processionibus theophoricis amplietur*, quem ob finem sodales, alique fideles qualibet vice invitentur, ut cum luminibus appareant talique solemnibus apparatu Regi et Domino suo comitatum exhibeant;

c) *praeprimis desideramus, ut in omnibus ecclesiis*, ubi Sanctissimum asservatur, *adoratio communis omnium fidelium inducatur* et quidem non tantum qualibet prima dominica in mense, sed pro posse omnibus dominicis et diebus festivis; determinetur hora pomeridiana conveniens locorum circumstantiis, invitentur fideles omnes, vel una dominica virgines, altera ceterae mulieres, tertia iuvenes et viri, et accensis duabus cereis alta voce adorationi Sanctissimi per integram horam incumbant; sacerdotum unus vel alter semper adsit et saltem submissa voce cum populo orationes recitet; curabit sacerdos, ne ista hora molesta fiat adoratoribus, ideo prius iam ordinem orationum disponat, determinet lectionem, rosarium et hymnos, insistatque, ut recitatio orationum et lectio fiat revera devote, lente, non clamorose; hinc inde brevi sed ardenti conciuncula praesentes ad amorem, ad constantiam excitentur; Sanctissimum non exponitur; ut vero finis sollemnis sit, determinetur pro fine decantatio cantus in honorem Ss. Sacramenti;

d) *valde laudandi sunt illi iuvenes et viri, qui in adoratione nocturna a feria V. usque feriam VI., quae est prima in mense, magna cum sui abnegatione et mortificatione participant.*

§. 2.

De cultu Ss. Cordis Jesu.

91. De cultu Ss. Cordis Jesu pluribus iam vicibus¹⁾ tum ad populum in epistolis pastoralibus, tum ad clerum locuti sumus. Unde nostra patet persuasio de necessitate hujusce cultus relativa.

¹⁾ Škof. List an. 1900, 1901, 1902, 1903.

1. Enunciatio Jesu Christi.

Et re quidem vera, annon Dominus Jesus Ipse dixit, se *hunc cultum ultimis mundi temporibus asservasse*, ut hoc medio salvi fiant, qui nondum omnino corrupti sunt? Quam ob rem cultum hunc valde promovit Pius Pp. IX. et Leo Pp. XIII., qui festum Ss. Cordis ad festum I. classis elevavit, Litanias in honorem Ss. Cordis approbavit, quique aperte dixit, Ss. Cor nobis qua vexillum datum fuisse, ut sub hoc vexillo pugnantes victoriam reportemus contra omnes aeternae salutis nostrae inimicos.

Qui credit, Ecclesiam a Spiritu Sancto ductam esse, certe omni ardore et sinceritate *semetipsum Sanctissimo Cordi devovebit, curabitque, ut qua apostolus huius divini cultus devotionem erga divinum Cor Jesu omnibus viribus promoveat*. Amor quoque populi, cuius bonum promovere conamur et obligamur, ad hanc devotionem in cordibus omnium excitandam nos impellet.

2. Cultus Ss. Cordis in nostra dioecesi.

92. Dictis cogitationibus et rationibus permoti renovamus omnia, quae ad hunc cultum promovendum in dioecesi nostra jam ordinavimus:

a) *Desideramus, ut concionatores* de cultu Ss. Cordis Jesu saepius saltem mentionem faciant, de eoque uberius loquantur qualibet prima dominica cuiuslibet mensis, praecipue dominica post festum huius Ss. Cordis;

b) *strictè praecipimus solemnitatem triduanam tempore festi principalis*, quod est feria VI. post Octavam Corporis Christi; triduum fiat sequenti modo:

Diebus fer. V. VI. et sabbato celebretur Missa coram Sanctissimo; post Missam recitentur vel cantentur Litaniae Ss. Cordis cum oratione et consecratione, qua finita detur benedictio;

ubi vero solemnitas non potest ordinari tempore matutino, ordinetur tempore vespertino, quo exposito Sanctis-

simo Litaniae decantentur vel saltem recitentur, deturque benedictio;

dominica vero sequente cantetur Missa sollemnis coram Sanctissimo exposito, intra quam concio habeatur de Ss. Corde; tempore pomeridiano exponatur Sanctissimum ad communem adorationem per integram horam, ad quam fideles efficacibus verbis invitentur; finita adoratione decantentur solemniter Litaniae in honorem Ss. Cordis, deturque benedictio;

c) *praecipimus* insuper, ut *qualibet prima dominica mensis* adoratio Sanctissimi eodem modo instituatur; ubi vero fieri potest, adoratio haec fiat qualibet prima feria VI. cuiuslibet mensis; hac feria omnibus et singulis parochis permittimus *celebrationem Missae coram Sanctissimo*, si maior numerus populi hac die ad Missam confluere solet;

d) qualibet prima feria VI. vel prima dominica mensis invitetur populus ad communionem expiatoriam, cuius excellentia saepius explicetur;

e) *summopere desideramus*, ut in qualibet parochia *societas ab Apostolatu Orationis inducatur*; constat enim. Apostolatum Orationis inter optima et perfectissima simul et facillima nec non fructuosissima numerari exercitia, quibus cultus et honor divino Cordi Jesu exhibetur.

§. 3.

De societate ab Apostolatu Orationis.

Opere pretium est, ut clerus noster de hac Associatione omni meliori modo informetur.

1. Finis et organizatio in genere.

93. Apostolatus Orationis¹⁾ est pia Societas, quae apostolicum munus divinae gloriae et animarum salutis promovendae exercet oratione sive mentali sive orali, et aliis etiam piis operibus, quatenus impetratoria sunt et Sanctissimum Cor Jesu nobis conciliare possunt ad praedictum finem assequendum. Organizatio est sequens:

¹⁾ Škofijski List an. 1897, pg. 87. sq.

a) *Tres sunt huius Apostolatus gradus* pro operum varietate, quae exercere *studet*, unde triplex sociorum ordo:

Primus gradus, qui *essentialis est et omnibus sociis communis*, qui quotidie certa quadam formula suas preces omnes, actiones et aerumnas Deo offerunt una cum Sanctissimo Corde Jesu et in eos omnes fines, ob quos Dominus noster assidue interpellat et se in Sacrificium offert pro nobis. Unde amor et devotio erga Sanctissimum Cor Jesu valde propria est sociorum omnium, qui Apostolatui Orationis accensentur; siquidem devotio haec, licet non constituat finem Societatis, medium est omnium validissimum et prorsus singulare, unde et socii omnes, exemplo Sanctissimi Cordis Jesu permoti, ad orationis studium impensius excitentur, ut oratio ipsa una cum eodem Sanctissimo Corde peracta efficacior evadat et intentum finem gloriae divinae promovendae assequatur.

Alter gradus est eorum, qui praeter illa, quae primi gradus propria sunt, id est praeter orationem, qua sibi conciliant Sanctissimi Cordis intercessionem apud Patrem, ut gloria divina promoveatur, alias etiam preces fundunt ad B. Virginem Mariam, ut potentissimae Matris opem implorent et eandem in hoc pium opus salutis animarum procurandae adiutricem sibi adsciscant. Hi *scilicet singulis diebus semel precantur „Pater noster“ cum decem „Ave Maria“ ad eam intentionem, quae per Romanum Pontificem approbata initio cuiusque mensis iisdem indicata fuerit.*

Tertius gradus iis constituitur, qui opera saltem primi gradus exercentes, impedimenta praeterea remove curant, ne preces nostrae pro salute animarum ad Deum fusae effectu fraudentur. In eum finem singulis mensibus vel hebdomadis *communionem reparatricem* peragunt, qua Sanctissimum Cor Jesu peccatis hominum ad iram provocatum, placare et precibus nostris propitium reddere contendunt. Quare omnes, qui tertio huic gradui adscribuntur et praedictam communionem secundum normas pro pio opere communionis reparatricis stabilitas peragunt, huius associationis membra constituuntur eiusdemque indulgentias lucrantur.

b) Quamvis pia Sodalitas ab „*Hora Sancta*“ nuncupata diversa sit a pia Sodalitate „Apostolatus Orationis“, tamen omnibus sociis Apostolatus Orationis, qui pium exercitium ab „*Hora Sancta*“ dictum rite peragunt, ut Sanctissimum Cor Jesu iniuriis hominum lacescitum placent, nostrisque precibus benignum reddant, integrum est gratias omnes spirituales sibi comparare, quae illis, hoc pium exercitium peragentibus, conceduntur Rescripto Pii IX.¹⁾ et Brevi Leonis XIII.²⁾ Sed alia pia opera Apostolatui adiacere nemini fas erit, integris tamen perstantibus facultatibus, quibus locorum Ordinarii, pro sua quisque dioecesi, gaudent.

c) Sedes princeps seu centrum Societatis constitutum est Tolosae. *Moderator vero generalis* est ipse Praepositus Generalis pro tempore Societatis Jesu, qui munus suum delegare potest alii a se deligendo, qui Tolosae resideat.

d) Praeter moderatorem generalem erunt quoque *Moderatores dioecesani, qui designandi sunt ab Ordinario generali*, quem ipse Praepositus delegaverit Tolosae. *Directores autem singularum Societatum constituentur, approbante Ordinario, a Moderatore dioecesano*. Tum Moderatores dioecesani, tum Directores singularum societatum Ordinario subiicientur etiam in iis omnibus, quae ad praedicta opera pertinent; iis exceptis quae spectant ad statuta ab Apostolica Sede approbata.

e) *Ad socios adlegendos* satis est, Directores singularum Societatum inscribere eorum nomina in libro indice ecclesiarum vel locorum piorum, ubi Apostolatus institutus est, et tesseras distribuere, quin necesse sit catalogum centro principi transmittere.

f) Indulgentiae ceteraeque gratiae praedictis Apostolatus operibus a Summis Pontificibus hucusque concessae vel extensae in suo robore maneant.

Ita S. Congregatio episcoporum et regularium disposuit atque decrevit Romae 11. Julii 1896.

¹⁾ De die 13. Mai 1875.

²⁾ De die 30. Martii 1886.

2. Explicatio trium graduum.

94. Dominus Jesus Christus, unicus noster atque aeternus Summus Sacerdos et Mediator, semper vivit „ad interpellandum pro nobis.“ ¹⁾ Oratio Christi tum in coelis ad dexteram Patris, tum in terris in Altaris Sacramento nihil aliud intendit, quam salutem animarum, conversionem peccatorum, custodiam innocentiae, constantiam iustorum, protectionem universae Ecclesiae, brevi conservationem atque propagationem regni divini super terram.

Quas nobilissimas intentiones Ss. Cordis Jesu Societas ab Apostolatu Orationis sibi appropriat, ut cum Ss. Corde Jesu et secundum exemplum ab Ipso datum aeternam animarum salutem curet atque foveat. Patet ergo Apostolatum Orationis revera optimis et perfectissimis exercitiis devotionis erga Ss. Cor Jesu accenseri debere. Quid ergo mirum, si desideramus, ut omnes fideles nostri huic operi aggregentur?

95. Apostolatus tres gradus sociorum continet. *Primus gradus est essentialis*, cui secundus et tertius superstruuntur, quapropter exercitia huius gradus omnibus sociis communia sunt.

Quotidiana vita nostra constat precibus, actionibus et aerumnis. Deus Creator et Iudex noster vult, ut oratione quotidiana, ut adimplentione laborum, ad quos vi status nostri obligati sumus et sufferentia aerumnarum, quae cum vocatione nostra cohaerent vel a Deo permissae fuerunt, eiusdem dominium super nos profiteamur nec nos debitum servitium, ad quod ipsa natura obligati sumus, ipsi exhibeamus. Si hoc spiritu vitam nostram quotidie transigimus, revera fini nostro tum proximo, tum ultimo convenienter vivimus.

Multum vero interest, ut *precibus, actionibus et aerumnis quotidianis summum internum valorem conciliemus* et proinde meritum quoque, in quantum fieri potest, summum pro omni aeternitate acquiramus. Nonne hoc ab omnibus, qui mentis compotes sunt, expetendum est?

¹⁾ Hebr. 7, 25.

Id autem obtinetur per exercitium primi gradus huius Apostolatus. Valor enim precum, actionum et aerumnarumstrarum omnino a fine dependet, in quem diriguntur: quo sublimior et perfectior finis, eo maior valor earum; atqui, quinam finis perfectior erit et sublimior eo fine, quo Ss. Jesu Cor in Altaris Sacramento assidue interpellat et se in sacrificium offert pro nobis? Ergo preces, actiones et aerumnae nostrae quotidianae ad sublimissimum et perfectissimum finem diriguntur atque per consequens summo possibili intrinseco valore a Deo donabuntur, si cum Ss. Corde Jesu coniunctae in omnes eos fines Deo offeruntur, ob quos Dominus Jesus in altari praesens interpellat et se in sacrificium offert pro nobis.

Ss. Cor Jesu vero, prouti supra iam monuimus, nihil aliud intendit, quam ut regnum Dei per universum orbem terrarum propagetur omnesque et singulos homines ex omni natione in se complectatur. *Si ergo eadem intentione cum Ss. Corde Jesu coniuncti quotidie preces nostras fundimus, labores peragimus, aerumnas sustinemus, nonne tota vita nostra opus est apostolicum, quo Regnum Dei super faciem terrae promovetur opusque redemptionis exoptatum fructum certius et uberius consequitur?*

Certe nemo haec perpendens tam durus erit, quin summopere desideret, ut huic Societati nomen dare possit? Quid ad hoc requiritur?

Requiritur *a) ut sodalis a moderatore suae parochiae, cui se personaliter sistat, in album sociorum inseratur,*

b) ut quotidie preces, actiones et aerumnas suas cum Ss. Jesu Corde coniungat atque cum Illo et per Illud Deo Patri in ipsos huius Ss. Cordis fines offerat. Nihil aliud requiritur.

Ad hanc oblationem peragendam nulla forma praescribitur; ast proficuum erit, si fideles formam omnino determinatam addiscant, ne in incertum vagentur et oblationem brevi omittant.

In *nostris literis pastoralibus determinatam formam* ¹⁾ iam *proposuimus*, immo omnes pastores rogavimus operam dare, ut fideles, praeprimis infantes in schola eam memoriae imprimant atque precibus matutinis adiungant, ut ita tota dies statim a mane Deo dicata et infinite meritoria fiat.

Verum quidem est, praefata forma aliam adhuc intentionem a nobis additam fuisse, sc. ut preces, actiones et aerumnae nostrae Ss. Cordi Jesu etiam *ad reparandas iniurias* offerantur, quibus illud Ss. Cor in Altaris Sacramento afficitur; ast talis reparatio ab Ipso Domino Jesu desideratur, proinde certum est, quod Illi valde accepta futura sit. Et si oblatio *per manus B. Virginis Mariae* peragitur, talis oblatio eo certius a Domino rata habebitur.

Hoc exercitium absque ulla difficultate peragi potest, immo consuetudine contracta valde suave omnibus erit; neque magnum temporis spatium ad id requiritur; et si tempus urget, nonne fieri potest, dum surgis, vestimenta induis? Urgeantur matres, vel sodales B. Virginis Mariae, ut talis consuetudo, addendi sc. hanc oblationem precibus matutinis, ubique inducatur. Qui hanc oblationem exercent, inserantur catalogo sociorum et brevi omnes parochiani vel saltem maior eorum pars socii Apostolatus erunt.

96. Quolibet mense sociis Apostolatus suadet, ut praeter finem generalem, quem supra iam declaravimus, specialis adhuc finis superaddatur, qui ab ipso Summo Pontifice approbari et foliis publicari solet. In nostra dioecesi ope folii „Bogoljub“ indicatur.

Omnes socii, qui exercitio primi gradus, quotidie semel „Pater noster“ cum decem „Ave Maria“ ad praefatam intentionem addunt, *ascendunt ad secundum gradum sociorum*, cui speciales indulgentiae conceduntur.

Persuasi sumus, hoc secundi gradus exercitium omnibus commendari non posse; ast certissime in qualibet pa-

¹⁾ En formam emendatam: O dulcissimum Cor Jesu, orationes, actiones et aerumnas huius diei per manus Mariae offero primo Tibi ad reparandas iniurias illatas Tibi in Ss. Altaris Sacramento, secundo Tecum Deo Patri in omnes illos fines, in quos Tu Ipse Deo Patri quotidie in altaribus nostris Te offers.

rochia inveniri poterunt animae electae, quae libenter illud assument. Quapropter *finis specialis cuiuslibet mensis fidelibus addita brevi explicatione indicetur atque commendetur*, quod in concione qualibet prima mensis dominica facile et cum fructu fieri potest.

97. *Exercitium tertii gradus est communio reparatrix*: exercitium Ss. Cordi Jesu summopere suave, ast in parochiis nostris vix, aut ne vix quidem practicabile. Consistit vero in hoc, ut societatem ineant vel septem personae, sibique singulae septem dies hebdomadis pro communione reparatrice distribuunt, vel vero triginta pro singulis triginta diebus mensis, quo certo ordine semet exripiantes communionem reparatricem Ss. Cordi offerant.

In collegiis religiosis hoc exercitium generosum fors quidem suscipi poterit, in *parochiis vero communio reparatrix omnibus et singulis fidelibus commendetur in triduo occasione festi Ss. Cordis Jesu et qualibet prima feria VI. vel prima die dominica cuiuslibet mensis*; futurum est enim, ut Ss. huic Cordi magnum offeratur solatium, si praefatis diebus maior numerus fidelium caritate ductus s. communionem suscipiat.

98. „*Hora sancta*“ *commendatur praecipue sacerdotibus et religiosis utriusque sexus*. Consistit vero in eo, ut intra solis occasum fer. V. usque ad solis ortum feriae VI. una integra hora transigatur in oratione orali vel mentali de agonia Christi in monte Olivetano vel de alio mysterio Eiusdem passionis.

3. Indulgentiae.

99. Sociis sodalitatis ab Apostolatu Orationis plurimae tum *plenariae tum partiales indulgentiae* conceduntur.

a) Socii *primi gradus* lucrari possunt indulgentias *plenas*: die adscriptionis; in festo Ss. Cordis Jesu et Immaculatae Conceptionis (a primis Vesperis); una feria VI. cuiuslibet mensis et alio quoque die ad beneplacitum electo (ab ortu solis ad occasum): sub conditione, ut Sacramenta Poenitentiae et Communionis suscipiantur atque publica ecclesia

visitetur, ubi preces ad intentionem Summi Pontificis peragantur;

plenarias indulgentias socii primi gradus lucrantur etiam in die festo Sancti, qui pro quolibet mense, qua patronus venerationi proponitur et obeuntes exercitium „horae sanctae“, dummodo Sacramenta corde contrito suscipiant.

Partialem indulgentiam 100 dierum pro qualibet prece et pro quolibet bono opere oblato ad intentionem mensualem;

item indulgentiam 100 dierum, quoties socii, qui scapulari Ss. Jesu Cordis cum inscriptione: „Adveniat regnum tuum“ induti hanc invocationem ore vel saltem corde proferunt.

b) Socii *secundi gradus* lucrantur indulgentias 100 dierum singulis diebus, si orationem „Pater noster“ et 10 „Ave Maria“ ad intentionem mensualem recitant;

dein indulgentias plenarias in festo Orationis olivetanae D. N. Jesu Christi, in festo purissimi Cordis B. Virginis Mariae atque in festo Patrocinii S. Joseph; requiritur autem confessio, communio et visitatio ecclesiae.

100. Utinam omnes sacerdotes, catechetae et concionatores et confessarii Apostolatus ipsi nomen darent, atque fideles sibi commissos ad hanc excellentissimam devotionem erga Ss. Jesu Cor perducant illosque saepe saepius doceant, hac devotione, praecipue illa primi gradus, omnes et singulas actiones quotidianae vitae eorum sanctificari et pro vita aeterna meritorias reddi!

§. 4.

De cultu B. Virginis Mariae.

101. Cultus *B. Virginis Mariae* moraliter necessarius est ad obtinendam vitam aeternam. Virgo Maria enim ad opus salutis cum Christo Domino cooperata est: in nomine totius generis humani consensum praestitit incarnationi secundae personae in Ss. Trinitate, dein Christum obtulit sacrificium pro redemptione generis humani; in passionem et mortem filii sui consensit, immo in monte Calvaria stans iuxta crucem

Jesu cum Ipso mori desideravit. *Propter cooperationem ad nostram redemptionem constituta est thesauraria gratiarum et meritorum*, quae Christus Jesus vita, passione et morte sua nobis comparavit, ita ut Illa gratias omnes distribuat, omnesque gratiae per manus Illius in nos defluant, vel saltem ut omnes gratias per Illam obtinere possimus. Sicut Deus Filium suum per Mariam nobis donavit, simili modo nos per Mariam salvos fieri vult.

Quae doctrina non est de dogmate, sed ob auctoritatem theologorum, qui eam proferunt, omnino certa esse videtur. Quapropter *moralis necessitas* cultus B. Mariae Virginis asseritur, et affirmatur, difficile salvum fieri, qui Beatam V. Mariam non veneratur, vix autem periturum, qui vere et constanter Illam colit.

Ideo nos ipsi B. V. Mariam ut Matrem filiali prosequimur cultu, eundemque inde ab initio nostri muneris verbo et exemplo commendare et promovere non cessavimus. *Desideramus* ut omnes *sacerdotes* nostrae dioecesis B. V. Mariam ex corde venerentur, cultumque Illius verbis persuasibilibus tum in schola, tum e suggestu, tum in confessionali, tum privatim semper atque ubique inculcent. Utinam *matres* inde ab incunabulis amorem tenerum huius divinae Matris in cordibus infantium excitare atque accendere nitantur!

102. Speciales modos huius cultus quod attinet, omnes recensere non possumus, sunt enim numero fere infiniti. Attamen secuti vota et desideria Summorum Pontificum quosdam fortius urgere quasi obligati sumus.

Vota nostra atque desideria *de Sodalitate Mariana* iam pandimus. Nunc vero de solemni devotione *mense Maio*, *mense Octobri* atque *de Rosario* in specie, quae opus videntur, indicabimus.

1. *Devotio mensis Maii.*

103. Superato Iansenismo publica devotio erga B. Virginem Mariam denuo celeriter propagari coepit. Praecipue devotio *per integrum mensem Maium* a fidei populo summo opere amari et frequentari coepit: quot preces decurrente

hoc mense ad Mariam diriguntur, quot fideles Sacramentis purgantur atque ad vitam christianam roborantur, quot corda per Mariam Domino Jesu Christo adducuntur!

Ideo *statuimus*:

a) Ut pia devotio erga B. Virginem Mariam *in omnibus parochiis* foveatur, atque ut praeprimis tenera juvenus casto amore erga purissimam Virginem et Matrem imbuatur;

b) ut haec devotio *saltem omnibus sabbatis, diebus dominicis et festivis decurrente mense Maio* instituitur; ubi *fieri potest*, celebretur *omnibus diebus* totius mensis et quidem sive mane, sive vespere;

c) si instituitur mane, s. Missa celebrari potest coram Sanctissimo, qua finita legantur Litaniae lauretanae deturque benedictio populo praesenti; si vero instituitur vespere, exposito Sanctissimo, lauretanae Litaniae recitentur vel decantentur, et detur benedictio more solito;

d) *suademus* ut qualibet vice, vel saltem sabbatis, dominicis et diebus festivis brevis lectio de virtutibus, gratiis et auxiliis B. Virginis Mariae addatur.

2. *Devotio mensis Octobris.*

104. A Leone Pp. XIII. prae ceteris *recitatio Ss. Rosarii* fere quotannis inde ab anno 1883 enixe commendabatur. Causa, quae S. Pontificem iterum atque iterum ad inculcandam recitationem S. Rosarii commovebat, sunt adversarii Ecclesiae et tot mala, quae in populum christianum irruunt, vel illi imminet.

„Talis in orando perseverantia, ait S. Pontifex,¹⁾ longe plus est hoc tempore necessaria, cum tam multa Nos tamque magna... circumstent ex omni parte pericula, quae sine praesenti Dei ope superari non possunt. Nimis enim multi oderunt omne, quod dicitur Deus et colitur: oppugnatur Ecclesia neque privatorum dumtaxat consiliis, sed civilibus persaepe institutis et legibus: christianae sapientiae adversantur immanes opinionum novitates, ita plane, ut et sua cuique et publica tuenda salus sit adversus hostes

¹⁾ Litt. apost. de 24. dec. 1883; Škof. List 1884, pg. 25, 39.

acerrimos. Vere igitur huius tanti proelii complectentes cogitatione certamen, nunc maxime intuendum esse censemus in Jesum Christum, Dominum Nostrum, qui quo nos ad imitationem erudiret sui, „factus in agonia prolixius orabat“.

„Ex variis autem precandi rationibus ac formulis in Ecclesia catholica pie et salubriter usitatis, ea, quae Rosarium Mariale dicitur, multis est nominibus commendabilis. In quibus . . . illud permagnum, quod *est Rosarium precipue implorando Matris Dei patrocinio adversus hostes catholici nominis institutum*: eaque ex parte nemo ignorat sublevandis Ecclesiae calamitatibus idem saepe et multum profuisse.“

„Non solum igitur privatorum pietati, sed publicis etiam temporibus est magnopere consentaneum, istud precandi genus in eum restitui honoris locum, quem diu obtinuit, cum singulae christianorum familiae nullum sibi abire diem sine Rosarii recitatione paterentur.“

105. His similibusque causis permotus summus Pontifex mandavit, ut *toto mense Octobri in omnibus ecclesiis parochialibus Rosarium Mariale cum Litanis lauretanis recitetur*. Hoc mandatum sequentibus annis fuit iteratum; denique a Summo Pontifice statutum, ut haec solemnitas quolibet anno instituatur, quoadusque rerum ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adiuncta ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit.“¹⁾

Itaque *decernimus atque mandamus*:

Ut *a prima die Octobris usque ad secundam diem sequentis Novembris in omnibus parochialibus templis et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis*, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litanis lauretanis, addita quoque oratione ad S. Josephum, quotidie recitentur; quod si mane fiat, Missa inter preces celebretur, si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite lustrentur.

¹⁾ Škof. List an. 1885 pg. 81 sqq.

Omnibus, qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Suae Sanctitatis oraverint et his pariter, qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum et septem quadragenarum apud Deum Indulgentia singulis diebus conceditur.

Eis autem, qui supradicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel legitime impediti, privatim eadem peregerint, Sacramenti confessione expiatis et sacra Synaxi refectis, plenaria admissorum Indulgentia de Ecclesiae thesauro a Sua Sanctitate impertitur.

Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter Sua Sanctitas largitur, qui vel ipso die festo beatae Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo insequentibus diebus, Sacramenta ut supra perceperint et in aliqua sacra aede iuxta suam mentem Deo eiusque sanctissimae Matri supplicaverint.

Qua de re et *illis consulens fidelibus, qui ruri viventes agricultione praecipue Octobri mense distinentur*, Sanctitas Sua concedit, ut singula superius disposita cum sacris etiam Indulgentiis, eorum in locis *ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses differri valeant*.

Pastores animarum haec omnia fideliter observent, atque populum iusto tempore tum de recitando Rosario, tum de Indulgentiis moneant atque instruant.

§. 5.

Sodalitas a Ss. Rosario.

106. Litteris encyclicis „Augustissimae“ ¹⁾ Summus Pontifex Episcopus orbis catholici alloquens ait: *Nos, venerabiles fratres, vehementer hortamur vos atque obsecramus, quod saepe iam fecimus, ut sacrae huius militiae (i. e. Sodalitatis a Ss. Rosario) singularem curam adhibeatis, atque ita quidem, ut vobis adnitentibus novae in dies evocentur undique copiae atque scribantur*. Vestra opera atque eorum, qui e clero subdito vobis curam gerunt animarum, noscant ceteri e po-

¹⁾ De 12. Sept. 1897; Škof. List an. 1897 pg. 67. sqq.

pulo atque ex veritate aestiment, quantum in ea Sodalitate virtutis sit, „quantum utilitatis ad aeternam hominum salutem“.

Obedientes vehementi desiderio Summi Pontificis, vota nostra de Sodalitate a Ss. Rosario pandere et mandata publicare in mente habemus.

1. *Virtus huius Sodalitatis.*

107. Virtutem Sodalitatis a Ss. Rosario Papa ipse in praelaudata Encyclica pulcherrime exponit:

„In his coetibus, ait Leo XIII., minime dubitamus praeclarum dignitatis locum assignare Sodalitati, quae a Ss. Rosario nuncupatur. Nam sive eius spectetur origo, e primis pollet antiquitate, quod eiusmodi institutionis auctor fuisse feratur ipse Dominicus pater; sive privilegia aestimentur, quamplurimis ipsa ornata est Decessorum Nostrorum munificentia.“

„Eius institutionis forma et quasi anima est Mariae Rosarium, cuius de virtute alias ¹⁾ fuse locuti sumus. Verumtamen ipsius Rosarii vis atque efficacia, prouti est officium Sodalitati, quae ab ipso nomen mutuatur, adiunctum, longe etiam maior apparet.“

„Neminem enim latet, quae sit omnibus orandi necessitas, non quod immutari possint divina decreta, sed ex Gregorii ²⁾ sententia ut homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare . . . *At preces tunc maxime robur assumunt ad coelestem opem impetrandam, quum et publice et constanter et concorditer funduntur a multis*, ita ut velut unus efficiatur precantium chorus: quod quidem illa aperte declarant Actuum Apostolicorum, ubi Christi discipuli expectantes promissum Spiritum Sanctum, fuisse dicuntur ³⁾ „perseverantes unanimiter in oratione“. Hunc orandi modum qui sectentur, certissimo fructu carere poterunt nunquam.“

¹⁾ In variis Encycl. inde ab anno 1883.

²⁾ Dialog. I. I. c. 8.

³⁾ Act. I, 14.

„Iam id plane accidit inter Sodales a Sacro Rosario. Nam sicut a sacerdotibus divini officii recitatione publice iugiterque supplicatur, ideoque validissime, ita publica quodammodo, iugis, communis est supplicatio Sodalium, quae fit recitatione Rosarii vel Psalterii Virginis, ut a nonnullis etiam Romanis Pontificibus appellatum est.“

„Quod autem preces publice adhibitae multo iis praestent, quae privatim fundantur vimque habeant impetrandi maiorem, factum est, ut Sodalitati a Sacro Rosario nomen ab Ecclesiae scriptoribus inditum fuerit „militiae precantis a Dominico Patre sub divinae Matris vexillo conscriptae“, quam scilicet divinam Matrem sacrae litterae et Ecclesiae fasti salutant *daemonis errorumque omnium debellatricem*. Enimvero Mariale Rosarium omnes socios communi vinculo adstringit tamquam fraterni aut militaris contubernii, unde validissima quaedam acies conflatur ad hostium impetus repellendos, sive intrinsecus illis, sive extrinsecus urgeamur, rite instructa atque ordinata. Ceterum eiusmodi precationis vim atque efficaciam annales Ecclesiae testantur . . .“ „*Ex eo autem, quod precans haec militia sit, sub divinae Matris vexillo conscripta, nova ei virtus, novus honor accedit*. Huc maxime spectat repetita crebro in Rosarii ritu post orationem Dominicam angelica salutatio . . .“

„Catholica enim fide docemur, non ipsum modo Deum esse precibus exorandum, sed beatos quoque coelites licet ratione dissimili, quod a Deo tamquam bonorum omnium fonte, ab his tamquam ab intercessoribus petendum sit . . .“

„Iam quis omnium, quotquot beatorum incolunt sedes, audeat cum augusta Dei Matre in certamen demerendae gratiae venire? Ecquis in Verbo aeterno clarius intuetur, quibus angustiis premamur, quibus rebus indigeamus! Cui maius arbitrium permissum est permovendi Numinis? Quis maternae pietatis sensibus aequari cum ipsa queat? . . .“

„Rem igitur optimam praestant Sodales a Sacro Rosario tot salutationes et Mariales preces quasi sarta rosarum contextentes. Tanta enim Mariae est magnitudo, tanta qua

apud Deum pollet gratia, ut qui opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare.“

„*Alia etiam Sodalitatis laus est, nec praetereunda silentio. Quoties enim Marialis recitatione Rosarii salutis nostrae mysteria commentamur, toties officia sanctissima coelesti quondam Angelorum militiae commissa similitudine quadam aemulamur.* Ea ipsi suo quaeque tempore mysteria revelarunt, eorum fuere pars magna, iisdem adfuere seduli vultu modo ad gaudium composito, modo ad dolorem, modo ad triumphalis gloriae exultationem.“ Angeli v. g. cooperabantur in annuntiatione Incarnationis, in Nativitate, in monte Olivetano, in Resurrectione et Ascensione.

„Piissima igitur Rosarii prece inter sodales utentibus ea maxime convenire possunt, quibus Paulus Apostolus novos Christi assecclas alloquebatur: „Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum angelorum frequentiam.“¹⁾ Quid autem divinius, quidve suavius, quam contemplari cum angelis cum iisque precari? Quanta niti spe liceat atque fiducia, fruituros olim in coelo beatissima angelorum societate eos, qui in terris eorum ministerio sese quodammodo addiderunt?“

„*His de causis Romani Pontifices eximiis usque praeconiis Marianam huiusmodi Sodalitatem extulerunt,* in quibus eam Innocentius VIII. „devotissimam Confraternitatem“²⁾ appellat; Pius V. affirmat eiusdem virtute haec consecuta: „Cooperunt Christi fideles in alios viros mutari, haeresum tenebrae remitti et lux catholicae fidei aperiri.“³⁾ Sixtus V. attendens quam fuerit haec institutio religioni frugifera, ejusdem se studiosissimum profitetur; alii denique multi aut praecipuis eam indulgentiis eisque uberrimis auxere, aut in peculiarem sui tutelam dato nomine aliisque deditis benevolentiae testimoniis, receperunt.“

108. Ex his verbis Summi Pontificis patet, *quid de Sodalitate a Ss. Rosario sentiat Ecclesia, atque semper senserit,*

1) Hebr. 12, 22.

2) „Splendor paternae gloriae“ die 26. febr. 1491.

3) „Consueverunt Romani Pontifices“ die 11. Septem. 1569.

*quapropter nos quoque omnibus animarum pastoribus sum-
mopere illam commendamus.*

2. Organizatio Sodalitatis a Ss. Rosario.

109. Papa Leo XIII. speciali Constitutione ¹⁾ „Ubi primum“ leges tulit atque modum decrevit, quo in perpetuum salutifera haec institutio regatur. Nos vero ex praedicta Constitutione illas regulas excerpere atque animarum pastoribus proponere volumus, quae scitu omnibus necessariae esse videntur:

a) Sacratissimi Rosarii Sodalitas eum in *finem* est instituta, ut multos fraterna caritate coniunctos per piissimam illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad beatae Virginis laudationem et eiusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat.

Quapropter, nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cuiusvis conditionis excipit homines, eosque per *solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit*. Quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt.

b) Unicum sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, *est Rosarium unaquaque hebdomada cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum*. Secundum consuetudinem a S. Sede probatam recitari solet die Dominica pars gloriosa, fer. II. pars gaudiosa, fer. III. pars dolorosa, fer. IV. pars gloriosa, dein iterum fer. V. pars gaudiosa, fer. VI. pars dolorosa, sabbato pars gloriosa.

Rosario sua *genuina forma* servetur, ita ut coronae non aliter quam ex quinque aut decem aut quindecim granorum decadibus coalescant; item ne aliae cuiusvis formae rosarii nomine appellentur; denique ne humanae reparationi mysteriis contemplandis, usu receptis, meditationes aliae sufficiantur.

¹⁾ De die 2. Octobris 1898: Škof. List an. 1898, pg. 161 sqq.

Sodalitatum rectores sedulo curent, *ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis B. Mariae Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur.*

c) Sodalium Dominicanorum Ordo omnia, quae ad hoc genus religionis pertinent, veluti haereditario iure sibi vindicat.

Uni igitur Magistro generali ius esto instituendi Sodalitates Sacratissimi Rosarii; ipso a Curia absente Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis.

d) Instituendae Sodalitati in designata aliqua ecclesia Magister generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis; ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem episcopo acceptum.

e) Sodalitas a Ss. Rosario in omnibus ecclesiis publicisque aediculis institui potest, ad quos fidelibus accessus libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum virginum vitam communiter agentium ecclesiis, prout Sacrae Romanae Congregationes saepe declararunt.

Cum iam ab Apostolica Sede cautum sit, ne in uno eodemque loco plures existant Ss. Rosarii Sodalitates, eiusmodi lex hisce iterum inculcatur.

f) Quum nulla habeatur Sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliae minores aggregentur, hinc nova quaevis huiusmodi consociatio per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium atque privilegiorum, quae ab hac Apostolica Sede aliis per orbem Sodalitatibus eiusdem nominis concessa sunt.

Sodalitas ecclesiae adhaeret, in qua est instituta. Quamvis enim Sodalitatis privilegia homines spectent, tamen indulgentiae complures, eius sacellum vel altare adeuntibus concessae, uti etiam privilegium altaris, loco adhaerent, ideoque sine speciali Apostolico indulto neque avelli possunt, neque transferri.

g) Rectorum electio, qui nempe Sodalitatis membra in ipsam societatem recipiant, eorum rosariis benedicant, omnibus denique fungantur muneribus praecipuis, ad Ma-

gistrum generalem vel eius Vicarium spectet, de consensu tamen Ordinarii loci pro ecclesiis clero saecularis conceditis.

Magistri rectorem praeficiant sacerdotem aliquem in ecclesia, ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem illiusque in hoc munere successores.

h) Quum haud raro peropportunum, quin etiam necessarium videatur, ut sacerdos alius legitimi rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque praestet, quae ad ipsius Rectoris officium pertinent, Ordinis Magister rectori facultatem tribuat subdelegandi, non generatim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui eius vices gerat, quoties iusta de causa id opportunum iudicaverit.

i) Item, ubi Rosarii Sodalitas eiusque rector institui nequit, Magistro generali facultas esto designandi alios sacerdotes, qui fideles indulgentias lucrari cupidos Sodalitati propinquiori aggregent et rosariis benedicant.

k) Formula benedicendi rosarii usu sacrata, inde a remotis temporibus praescripta et in appendice Ritualis Romani inserta, retineatur.

l) Etsi quovis tempore nomina possint legitime inscribi, optandum tamen, ut solemnior illa receptio, quae sive primis cuiusque mensis dominicis, sive in festis maioribus Deiparae haberi solet, apprime servetur.

m) Inter pios Sodalitatis usus merito primum locum obtinet pompa illa solemnis, qua Deiparae honorandae causa vicatim proceditur prima cuiuslibet mensis Dominica, praecipue vero prima Octobris; hunc morem Pontifices indulgentiis ditavere; ubi temporum iniuria non permittit, ut supplicatio habeatur extra ecclesiam, transferri potest in aliam Dominicam vel haberi intra ecclesiam; si magnus est accursus populi, ut propter multitudinem vel angustiam loci pompa in ecclesia circumduci non possit, ad lucrandas indulgentias sufficit, ut sacerdos cum clericis circumeat, sodales vero unusquisque in suo loco adstet.

n) Sacerdotibus in sodalium album adscriptis conceditur privilegium Missae votivae de B. Virgine Maria, quae in Missali Romano pro diversitate temporum legitur, et quidem bis in hebdomada, si ad altare Sodalitatis Missam peragunt; quae Missa indulgentiis ditata est.

Harum indulgentiarum etiam sodales e populo participes fiunt, si sacro adstiterint, culpisque rite expiatis, vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, pias ad Deum fuderint preces.

110. *Organizatio tam facilis est atque perspicua, ut haec Sodalitas absque gravi difficultate in omnibus parochiis induci possit.* Solummodo in prima eiusdem institutione labor maior pro inscriptione membrorum requiritur. Fideles vero non obligantur nisi ad Rosarium, quod et absque hac Sodalitate in omnibus fere familiis recitari solet; recitatio in Sodalitate magis urgetur certiorque ac multo fructuosior redditur.

3. *Indulgentiae.*

111. Huic Sodalitati permultae indulgentiae decursu temporum a Summis Pontificibus concessae fuerunt. Ut varia dubia dissipentur, Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita summarium indulgentiarum omnibus Christifidelibus pro devotione huius Rosarii concessarum recognovit, typis imprimi atque die 29. Augusti 1899 publicari permisit. Hoc summarium satis longum videre licet in folio „Škofijski List“ an. 1899 pg. 86. sqq.

4. *Desiderium.*

112. *Summopere desideramus, ut Sodalitas a Ss. Rosario in omnibus parochiis erigatur.* Ideo tum de virtute, tum de organizatione huius Sodalitatis uberius tractavimus. Et revera, cum Ss. Rosarium a fidelibus fere quotidie recitetur et cum hac Sodalitate nova onera non imponantur, immo permultae gratiae concedantur, quid obest, quominus Sodalitati omnes familiae et singula earundem membra nomen dent?

§. 6.

De tertio Ordine S. Francisci.

113. Exeunte saeculo septimo postquam natus est S. Franciscus de Assisi, Leo Pp. XIII. litteras encyclicas ¹⁾ edidit de S. Francisco, quem divina Providentia ad reformandos mores saeculi XII. populo christiano donavit. Summus Pontifex demonstrat, quomodo S. Franciscus tum per semetipsum tum per sua instituta vulneribus sui saeculi medicinam attulerit. Deinde proseguitur:

„Quemadmodum saeculo duodecimo ita nunc non parum deferbuit divina caritas, nec levis est officiorum christianorum partim ignorance partim negligentia perturbatio. Simili animorum cursu similibusque studiis in aucupandis vitae commodis, in consecrandis avide voluptatibus plerique aetatem consumunt. Diffuentes luxuria sua profundunt, aliena appetunt; fraternitatis humanae nomen extollentes plura tamen fraterne dicunt, quam faciunt; feruntur enim amore sui et illa erga tenuiores atque inopes genuina caritas quotidie minuitur.“

„Per eam aetatem multiplex Albigenium error concitatis adversus Ecclesiae potestatem turbis una simul civitatem perturbabat et ad quoddam Socialismi genus munierat iter: hodieque similiter Naturalismi fautores propagatoresque creverunt, qui subesse Ecclesiae oportere pertinaciter negant et longius . . . gradatim procedentes ne civili quidem potestati parcunt: vim et seditiones in populo probant, agrariam rem tentant, proletariorum cupiditatibus blandiuntur, domestici publicique ordinis fundamenta debilitant.“

„In his igitur tot tantisque incommodis probe intelligitis, venerabiles fratres, spem sublevationis non exiguam collocari in institutis franciscalibus merito posse, si modo in pristinum statum restituantur: iis enim florentibus facile floreret et fides et pietas et omnis christiana laus, frangeretur exlex rerum caducarum appetitio, nec pertaederet, quod

¹⁾ Encycl. „Auspicato“ de die 17. Sept. 1882; Škof. List an. 1882, pg. 153 sqq.

maximum atque odiosissimum plerisque putatur onus, do-
mitas habere virtute cupiditates. Concordiae vere fraternae
vinclis colligati diligenter homines inter se, egenisque et
calamitosis, quippe imaginem Christi gerentibus eam, quam
par est, reverentiam adhiberent.“

„Praeterea, qui religione christiana penitus imbuti sunt,
sentiant iudicio certo legitime imperantibus conscientia officii
obtemperari, nullaque in re violari quemquam oportere :
qua animi affectione nihil est efficacius ad extinguendam
radicitus omnem in hoc genere vitiositatem, vim, iniurias,
novarum rerum libidinem, invidiam inter omnes civitatis
ordines: in quibus omnibus initia simul atque arma Soci-
alismi consistunt.“

„Denique illud etiam, in quo prudentes rerum civilium
tanto opere laborant, de locupletium et egenorum rationibus
erit optime constitutum, hoc fixo et persuaso, non vacare
dignitate paupertatem: divitem misericordem et munificum,
pauperem sua sorte industriaque contentum esse oportere,
cum neuter sit ad haec commutabilia bona natus, alteri pa-
tientia, alteri liberalitate in coelum esse veniendum.“

Quibus perpulchre expositis Sua Sanctitas litteras hac
monitione concludit: „*Idcirco sicut semper antea tertio
franciscalium Ordini singularem curam adhibuimus, ita
nunc christianos homines hortamur, ut nomen dare
sanctae huic Jesu Christi militiae ne recusent. Plurimi nu-
merantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici ve-
stigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudamus tale
studium vehementerque probamus, ita tamen ut illud augeri
et ad plures propagari Vobis praesertim adnitentibus, Ve-
nerabiles fratres, velimus.*“

Si perpendimus, Summum Pontificem in huiusmodi
enuntiationibus datis ad episcopos omnes singulari Spiritus
Sancti assistentia adjuvari, tunc facile officium nostrum de-
ducemus, tertium Ordinem S. Francisci omni meliori modo
esse propagandum.

Nos ipsi, qui tertio Ordini ultra viginti annos adscriptos
esse in Domino gloriamur, illum confratribus nostris saepius

iam commendavimus et nunc iterum commendamus. Ideo tum *legem huius Ordinis* a Papa Leone XIII. approbatam, tum *indulgentias* ab eodem Pontifice Ordini denuo concessas hic loci publicabimus.

1. *Lex tertii Ordinis S. Francisci.*¹⁾

114. *De cooptatione, tirocinio, professione:* a) Ne quos cooptari liceat nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

b) Nuptae, nisi sciente atque consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

c) Adlecti in sodalitatem *scapulare parvum unaque cingulum de more gerant*: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

d) Qui quaeve tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satisfacturos singuli spondeant.

115. *De disciplina vivendi.* a) Sodales tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia postposita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

b) Choreis ludisve scenicis procacioribus, item commensationibus perquam caute abstineant.

c) Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

d) Jeiunium Virgini Mariae Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto; admodum laudabiles, si qui praeterea velieiunium in sextas, vel abstinentiam carnum in quartas quasque ferias servarint, disciplina veterum tertiariorum.

¹⁾ Škof. List. an. 1883, pag. 121. 199.

e) Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

f) Tertiarios ex ordine *clericorum*, quod *Psalmis quotidie dant operam*, nihil praeterea hoc nomine debere placet. *Laici*, qui nec *canonicas*, nec *Mariales preces*, vulgo officium parvum *B. Mariae Virginis*, persolvunt, *precationem Dominicam cum salutatione Angelica et Gloria Patri adhibeant duodecies in dies singulos*, excepto si per valetudinem non liceat.

g) Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

h) In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernitias virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

i) Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

k) Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

l) Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos praefectus indixerit, conveniant.

m) Conferant in commune pro facultate sua quisque nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, sublevantur et divini cultus dignitati consulatur.

n) Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant, suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

o) Ad exequias sodalis demortui sodales municipales hospitesque conveniant, simulque *Mariales preces* instituto *Dominici Patris*, id est *Rosarium*, tertiam partem ad coeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta *Eucharistia*, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

116. *De officiis, de visitatione, deque ipsa lege.* a) Officia advocatis ad conventum sodalibus deferantur sintque triennalia.

b) Visitator sit ex primo Ordine S. Francisci, vel ex tertio Ordine regulari deputatus a guardiano; laicis munus visitatoris est interdictum.

c) Visitator legum observantiam curet; ideo saltem semel in anno sedes sodalium circumeat, coetumque habeat, cui omnes sodales adesse iubentur. Si quem visitator ad officium vocaverit, vel si poenam in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

d) Sodales inobedientes et nocivi iterum ac tertium admoneantur officii sui: si non pareant, dimittantur.

e) Leges per se sub peccato non obligant.

f) Praefectis et Visitatoribus facultas datur absolvendi sodales ab una vel altera lege, si quis illam e gravi causa observare non possit.

2. *Indulgentiae et Privilegia.*

117. Tertius Ordo quam plurimis indulgentiis tum plenariis tum partialibus cumulatus est. Indulgentiam *plena-riam* assequuntur Tertiarii, si Sacramenta Poenitentiae et Ss. Eucharistiae susceperint:

a) Die additali; b) die professionis; c) convenientes ad concionem menstruam, si in ecclesia ad mentem Pontificis oraverint; d) diebus 4. Octobris (S. Francisci), 12. Augusti (S. Clarae), 2. Augusti (Mariae Angelorum), die festo Sancti, in cuius templo sedes sodalitia constituta est (requiritur visitatio templi et oratio ad mentem Pontificis); e) semel in mense, quo die cui placuerit (visitatio templi et oratio ad mentem Pontificis); f) in exercitiis spiritualibus per octo dies durantibus; g) morituri, si nomen Jesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint; eodem iure fruuntur, si nec compotes sacra Confessione et Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint; h) bis in anno ac-

cepturi benedictionem nomine S. Pontificis, si ad mentem ipsius oraverint; *i*) sub eadem lege accepturi Absolutionem generalem hisce diebus: Natali Domini, die Paschatis, die Pentecostes, festo Ss. Cordis Jesu, festo Immaculatae, festo S. Joseph, die impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci, festo S. Ludovici Regis et festo S. Elisabeth (19. Nov.); *k*) item semel in mense, si qui Pater Ave et Gloria quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis recitaverint; *ii* iure omni ad expiandas animi labes fruuntur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem S. Jacobi Apostoli Compostellanam religionis causa celebrant; *l*) quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum, ubi est sedes sodalitia, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo per eos ipsos dies amplissimo iure fruuntur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

118. Indulgentias quoque *partiales* saepissime per anni spatium lucrari poterunt.

Indulgentiae tum plenariae tum partiales *donari* possunt *animabus defunctorum*.

119. *Privilegia*. Sacerdotes tertiarii trina vice in hebdomada gaudent privilegio altaris, modone simile privilegium in alium diem impetraverint.

Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicunque veniae defuncto impetrando perlitato.

120. Cum Summus Pontifex tertium Ordinem S. Francisci vehementer commendaverit, cum leges nihil aliud nisi vitam christianam et frequentiam Sacramentorum intendant, cumque huic Ordini tot ac tantae Indulgentiae concessae sint: *nos quoque hunc Ordinem non solummodo rev. Franciscanis, sed saecularibus etiam sacerdotibus fovendum proponimus atque desideramus, ut pro posse in maioribus saltem ecclesiis cuiusvis decanatus legitime inducatur.*

§. 7.

Monitum.

121. Prae omnibus Sodalitatibus et Confraternitatibus curae sacerdotum hucusque commendavimus: *Congregationem Marianam, Societatem a sacra Familia, Societatem ab Apostolatu Orationis, Sodalitatem a Ss. Rosario et Tertium Ordinem.*

Insuper *vehemens desiderium* manifestavimus, ut praedictae Sodalitates et Societates ubique erigantur. Putamus enim, hisce Sodalitatibus non imponi onus fidelibus intolérable, immo fore, ut familiae nostrae incipiendo a prima iuventute in vita christiana regenerentur. Ecce quomodo:

a) Desideramus, ut Societati a sacra Familia omnes familiae adscribantur. Illa enim fovetur spiritus orationis et paupertatis, vita operosa et parsimonia, abnegatio sui, nec non firmum propositum adimplendi officia sui status propter Deum; parva oratio, praecipue Rosarium coram imagine S. Familiae commendatur, foveturque frequentia Sacramentorum;

b) omnes et singulae personae in familia nomen dare poterunt Societati a Ss. Rosario, qua nullam novam obligationem suscipiunt, immo ad recitationem Ss. Rosarii et ad frequentiam Sacramentorum fortius urgentur uberioresque percipiunt indulgentias;

c) item omnes et singuli nomen dare possunt societati ab Apostolatu Orationis, qua ad nihil obligantur, nisi ad oblationem precum, actionum atque aerumnarum suarum Ss. Cordi Jesu atque in unione cum Illo Deo Patri in omnes illos fines, in quos Christus ipse sacrificium se Deo offert; ergo nullum onus, et tamen tanta merita pro aeternitate ac tot gratiae a Domino ipso promissae iis, qui Cor Eius Sanctissimum venerantur;

d) iuventus invitetur insuper ad Congregationem Marianam, qua brevissimae tantum preces matutinae et vespertinae iniunguntur, qua tamen iuventus a proximis peccatorum periculis praeservatur, ad frequentiam Sacramentorum obligatur atque in coetibus menstruís ad idem inflammatur;

e) quibus autem Congregatio Mariana non placet, ingrediantur tertium Ordinem S. Francisci, cuius socii tot gratias ad vitam vere christianam et felicem obtinere possunt, quique ad menstruam adunationem et ad menstruam susceptionem Sacramentorum obligantur.

122. Si per totam dioecesin praefatae Sodalitates foveantur et provide dirigerentur, nonne vita christiana in familiis regenerari atque pulcherrime efflorescere deberet?

Quapropter volumus, ut Archidiaconi et Decani in suis visitationibus in praedictas Sodalitates inquirant et Ordinariatui desuper referant.

§. 8.

Missiones populares.

123. Persuasi sumus, quod nullo modo necessarium sit, facere verba de utilitate sacrarum Missionum. Omnes iam experti sumus, S. Missionibus summam utilitatem generari tum in parochiis, in quibus vita christiana fere emortua est, tum in parochiis, in quibus vita christiana florere videtur.

Ut vero S. Missiones fructum afferant, statuimus:

a) Curent parochi, ut *singulis septem vel saltem decem annis* S. Missio celebretur; non frequentius, quia quotidiana vilescent, non rarius, ne ulla generatio absque gratia S. Missionis maneat;

b) curent parochi, ut infra annum post S. Missionem eiusdem *renovatio* instituat, quae experientia docente, saepe maiorem fructum affert, quam S. Missio ipsa;

c) loco S. Missionis vel eiusdem renovationis institui possunt *sacra exercitia pro singulis statibus*, quae minori pompa, minori iactura temporis e parte populi et minoribus sumptibus fit; *talibus exercitiis praecipue pro Sodalibus B. Virginis Mariae commendantur*;

d) de praeparatione ad S. Missionem, de eiusdem renovatione, de tempore et duratione consulantur missionarii: Jesuitae, Lazaristae, Franciscani, Capucini vel alii fors adsciti;

e) in singulis *decanatibus stabiliatur ordo S. Missionum ita, ut infra septennium vel decennium omnes parochiae huius extraordinariae gratiae participes fiant.*

Cap. VI.

De intemperantia.

124. Proh dolor, quod vitium intemperantiae in multis regionibus nostrae dioecesis nimis grassetur. Tum in conferentiis pastoralibus, tum in epistolis pastoralibus vitium hoc impugnabamus ¹⁾; ast gaudere de successu nondum possumus. Nunc vero iterum omnes et singulos pastores coram Domino obsecramus, ut freti ope divina hoc vitium fortiter oppugnare continuent. Ideo *tum causae, tum remedia diligenter perpendantur.*

§. 1.

De causis intemperantiae.

125. Multis in locis prima causa huius vitii in iuvenibus ipsi sunt *parentes*. Pater cremata amat, intemperanter iis utitur ac proli quoque offerre solet. Inclinator excitatur. Haud mirum, si puer vix aetatem illam exspectet, qua cauponas frequentare ibique potui indulgere poterit.

Socii pravi constituunt causam secundam. Iuvenis cum illis conversatur, ad potum provocatur, hilaritas et cupido augentur, inclinatio ad fruendum magis magisque inflammatur, consuetudo contrahitur, consuetudine vero voluntas eiusque energia ita debilitantur, ut vi quadam ad nimium potum trahatur, licet passionem iam deploraverit et emendationem proposuerit.

Valde dolenda est consuetudo, quae fere ubique altas egit radices, nimirum *consuetudo diebus dominicis est festivis cauponas frequentandi ibique plures horas usque in seram noctem protrahendi*. Pravis colloquiis, perniciosis foliis, gravi crapula cor iuvenis corrumpitur, fructus orationis, Ss. Missae et concionis omnino deperditur. Quot rixae, quot inimicitiae, quot caedes, immo quot peccata luxuriae inde oriuntur!

Insuper meretur improbationem *vita moderna*, quae viros et iuvenes diebus festivis variis excursionibus, itine-

¹⁾ Škof. List an. 1901, pg. 57, 60; 1903, pg. 8, 21.

ribus, conventiculis assuefecit, atque hac via in cauponas, ad immodicum potum inducit. Neque associationes omnes ab omni culpa vindicari possunt, saepe quippe limites honestae recreationis transsiliunt.

Iam *vinum* immodice haustum tum saluti corporis tum animae nocet; quid autem dicendum de *potibus crematis*? de potu e diversis ingredientibus inebriantibus fabricato? Et tali potui operarii ita inhiant, ut haud raro potum crematum ter, immo pluries dietim porrigendum qua conditionem suae conductionis statuunt! Hinc inde etiam feminae, immo jam puellae tali potui indulgent.

Quid faciendum? Si populum diligimus et quidem in Deo diligimus, tunc revera *omnem laborem* suscipiemus, qui aptus est, ad vitium hoc si non eradicandum, saltem imminuendum.

§. 2.

De remediis contra intemperantiam.

Remedia contra intemperantiam sunt varia:

a) *Educatio* iuventutis modo iam descripto.

b) *Praeservatio iuvenum inde ab initio*, ne cum pravis sociis misceantur, neque cauponas frequentare incipiant. Cum vero iuvenis solitariam vitam agere non possit, necessario alii socii illi procurari debent, quod revera in Congregatione Mariana fit et in associationibus pro excolendis iuvenibus. In his associationibus et congregationibus instinctui sociali humanae naturae, nec non vehementi desiderio fruendi hilari recreatione omnino satisfieri potest. Associationes vero omnes, quae catholicis innituntur principiis, in cauponis sedem aut congressus suos ne habeant, nisi casu necessitatis omnino inevitabilis.

c) Huic fini etiam consociatio a S. Familia inserviet; nam illa patrem familias ab intemperantia praeservat, unde fit, ut filius quoque ejusdem saltem domi ab immodico potu abstineat.

d) Accedunt *media supernaturalia*: oratio, verbum divinum et praecipue frequentatio Sacramentorum.

126. Magnis laudibus extollimus sacerdotes, qui huic vitio tum verbo tum exemplo oppugnando semet consecra-verunt. *Valde desideramus, ut praefatis associationibus et congregationibus societas quoque temperantiae*¹⁾ *adiungatur.*

Quid sibi vult *societas temperantiae*?²⁾ Ecce *officia sodalium* sunt, ut vel ab omni potu inebriante, vel solum a potibus crematis omnino abstineant, vino vero et aliis tantum modice utantur; ut ad bibendum neminem cogant, ne diu in noctem in cauponis maneant, ut varias occasiones periculosas evitare sibi proponant; in specie obligantur matres, ut a quolibet potu abstineant; heri, ne operariis potum offerant, cauponarii, ne tempore functionum sanctarum, neve vespere ultra tempus legibus determinatum officinas suas apertas teneant, ebriis potum ne concedant, neve ad potum quasi cogant.

127. Nonne suprafati *sodales Mariani omnes istas obligationes observandas iam spoponderunt*? Si vero novum supraadditur vinculum, si variis solemnioribus occasionibus votum publice renouent, ad orationem et Sacramenta adhuc frequentius confugiant, nonne eo facilius et suavius a vitio abstinebunt?

128. Ast ubi *vitium iam inveteratum est, haec omnia nondum sufficiunt*. Nobis pastoribus animarum *publica potestas in adiutorium properet* oportet. Legibus et quidem legibus valde rigorosis de cauponis, contra ebriosos, contra parentes, qui pueros ad potum seducunt, opus est; nam absque vi coactiva neque caupones, neque vitio iam dediti coerceri poterunt. Ergo deputati nostri talem legem urgeant! Interea vero praepositi communitatis et praefecti districtuales dispositionibus jam existentibus utantur ad refraenandas tristes has passiones, imprimis novas cauponas, excepta summa necessitate, aperiri ne permittant.

129. Tali ratione familiae christianae instruantur et quidem qualibet occasione publice et privatim, ex ambone

¹⁾ Cf. librum: „Početek protialkoholnega gibanja na Slovenskem. Sestavil J. Kalan. 1902.

²⁾ ibid. pg. 40. sqq.

et in confessionali, precibus et minis; praesertim *pueris indefessa cura adhibeatur, ne huic vitio indulgere incipiant, sed statim ab initio, antequam passio dominium usurpaverit, ab illo fortiter retrahantur.*

Cap. VII.

De variis statibus et vocationibus.

130. Diversae familiae diversis statibus distinguuntur: inferiores in tali statu saepe invident superioribus, et vice versa hi ab illis saepe spernuntur; insuper sunt homines, qui omnem differentiam statuum auferre intendunt. Quid ergo sentiendum nobis est de *statuum differentia et aequalitate, quidque de eorum cura pro vita terrestri et vita aeterna?*

§. 1.

De differentia statuum.

131. Multum interest, ut fideles de differentia statuum bene edoceantur, quo facilius unusquisque in suo statu contentus absque invidia salutem suam et familiae procurare studeat.

Externa differentia statuum et vocationis in natura humana, ergo in voluntate Dei, qui eam creavit, fundata est. Sicut in corpore varia membra variis functionibus organicis destinata inveniuntur et singula suis functionibus ad omnimodam salutem corporis concurrunt, simili modo in societate humana diversi status ad diversas occupationes vocati sunt et has suas functiones obeundo ad bonum totius societatis concurrunt.

Necessarii sunt praepositi et subditi, necessarii opifices, agricolae, industriales, mercatores, magistri et alii, inter quos extrinseca differentia quoad minorem vel maiorem dignitatem invenitur, prouti magis minusve necessarii, plus minusve nobilibus functionibus occupati sunt.

Attamen quoad *intrinsecum valorem haec extrinseca differentia et dignitas nullius est momenti.* Nam intrinsecus

valor ex relatione ad ultimum finem est dimetiendus, ratione cuius maior valor istis rebus adscribi debet, quae huic ultimo fini obtinendo aptiores inveniuntur. Sub hoc autem respectu omnes et singuli status eiusdem sunt valoris; nam consecutio ultimi finis non de extrinseca dignitate status, sed de christiana adimpletione obligationum status dependet. Qui suis obligationibus omnibus propter Deum et secundum eius beneplacitum satisfacit, Deo acceptus est et quidem eo magis acceptus, quo magis voluntati divinae semet conformare studuerit, ita ut humilis famulus, vel proletarius, vel agricola intuitu aeternalis immense superare possit herum, divitem, principem, qui superbe sapit et Deum parum curat.

Edoceantur fideles, ut de valore status rite sentiant, unde facilius vivent contenti statu proprio, licet ignobilior videatur.

§. 2.

De valore laboris.

132. Labores sunt varii generis: corporales et spirituales. Ad unum vel alterum omnes iam a natura obligati sumus; *labor corporalis saepe timetur, vilipenditur*; quam plurimi de eo ingemiscunt, ab eoque eximi vehementissime cupiunt, vel saltem filios ita educare conantur, ut absque labore corporali victum sibi comparare valeant.

133. Miseri *valorem laboris corporalis* non cognoscunt. Perpendant:

a) *In paganismo quidem labor corporalis despectui habebatur* et propterea servis imponebatur. Christus autem Dei filius, homo factus, familiam operariam sibi elegit, in qua nasceretur et ad plenam usque aetatem educaretur. Qua filius fabri ipse labore corporali occupabatur, cum populo ibentissime conversabatur, e populo discipulos et Apostolos elegit, super operarios Ecclesiam suam fundavit. *Nonne ipse Dominus laborem corporalem et statum operariorum tali modo nobilitavit, illique praecipuum valorem, eximiam dignitatem conciliavit?*

b) Dein Christus Dominus laborem qua *fontem meritum vitae aeternae* constituit. Qui enim labori incumbit, quia ita est beneplacens voluntas Dei, labori suo infinitum comparat praemium, dummodo in statu gratiae sit; et qui laborem suum Ss. Cordi Jesu offert atque cum intentionibus huius Ss. Cordis coniungit, laborem suum ad summum valorem pro tota aeternitate elevavit, ut quotidie divitias illas sibi congreget, quas nemo ipsi auferre potest, quaeque immensam haereditatem aeternam ei procurabunt.

c) Labori denique etiam *valor satisfactorius* adscribi debet, et quidem in tantum, in quantum labor difficilis est et humanae naturae adversatur. Quia peccatores sumus et Sacramento Poenitentiae omnes poenae nequaquam remittuntur, sed in hac vel in altera vita lui debent, magno solatio valor laboris corporalis satisfactorius erit omnibus, qui ad eum sunt obligati.

Curati ideo saepius de tali valore ad populum loquantur, unde populus facile contentus erit et aliis statibus non invidet, licet in sudore vultus sui victum sibi et familiae comparare teneatur.

§. 3.

De cura pro variis statibus.

134. Revera cura pro salute aeterna obtinenda omnibus aliis anteponi debet; nihilominus *etiam cura pro felicitate terrestri non est contra, sed secundum voluntatem Dei*, dummodo cura aeternae salutis non negligatur.

Propterea *eximiam laudem merentur viri, qui inferiores status, sc. opificum et agricolarum, e miseria, in quam ultimis temporibus delapsi sunt, educere et quantum pote, ad vitam feliciorum perducere conantur.*

1. Agricolae.

135. Res agricolarum in magnum discrimen adducta est. Nostrum hic non est causas huius discriminis investigare, sed *provocare volumus tum laicos tum sacerdotes, ut adiu-*

vandis et salvandis agricolis unanimiter dent operam. Jam quibusnam mediis?

a) Inprimis commendamus *associationes oeconomicas*, quarum finis est agricolas coniungere, ut viribus unitis conditionem suam reddant meliorem. Nam quod unus efficere non potest, plures simul iuncti obtinebunt. Ideo agricolae associati res productas in horto, in campo, in stabulo facilius minoribus expensis et meliori pretio vendere poterunt iis, qui talibus productis indigent. Item agricolae simul iuncti facilius minori pretio res necessarias, uti semina, instrumenta et similia, sibi comparare poterunt. Iuncti novos quoque fontes reddituum invenient. Liberabuntur vero a periculo incidendi in manus egoistarum, qui nihil aliud intendunt, quam semetipsos locupletare et ob hunc finem nullis versutiis parcunt, ut res ab agricola minimo pretio emere, alias vero illi summo, etiam iniusto, pretio vendere possint.

Valde *laudamus viros*, qui hisce associationibus erigendis et dirigendis incumbunt. Insuper *valde commendamus unionem omnium associationum oeconomicarum*, qua unione associationes magis solidantur, facilius emolumenta percipiunt et securius a detrimentis praeservantur.

b) Quoniam vero ad promovendam agriculturam et ad opem illi ferendam in variis indigentis opus est facili credito cum leviori foenore accipiendo, *ideo approbamus, ut coetibus agrorum consortia parsimoniae et mutuationis adiungantur*, praecipue illa, quae ad *methodum Raiffeisenianam* sunt instituta, quippe quae in mutua fide, mutua custodia, communi omnium emolumento nitantur.

Quam ob rem valde *gaudemus, quod multae arcae Raiffeisenianae in nostra dioecesi sunt erectae*, unde agricolae magna emolumenta iam obtigerunt. Laudamus viros, qui his arcis erigendis et dirigendis operam dant, simulque illos monemus, ut opus in favorem agrorum continuent sollerterque contendat, operi ita praeesse, prouti finis obtinendus ipse requirit.

Operi vero vita constans et segura conciliatur arca mutuacionis communi et populari, erecta Labaci, cuius ope

res pecuniariae totius dioecesis prudenter diriguntur, ne ob varias circumstantias et eventuales casus singulae arcae detrimenti quid patiantur.

c) Sed *desideramus*, ut *praefati coetus agricolarum* non solum fortunam agricolarum locupletare studeant, sed *etiam animos eorum excolant*. Quam ob rem curent; ut hospitia christiana parent, vel saltem locum constituent, quo familiares conventus fieri poterunt. Illic agricolae horis vespertinis praecipue diebus dominicis et tempore hiemali, convenire poterunt, ubi convenientes honestam invenient recreationem, bonas legent ephemerides, de correctione rei publicae et rei suae deliberabunt, a viris idoneis in rebus et occupationibus sibi necessariis instituentur, simulque conversatione, festivitibus et sermonibus in vera civitate christiana promovebuntur. Nonne hac via agricolae a compositionibus in cauponis retrahentur, ad temperantiam, ad parsimoniam, ad implenda omnia officia efficaciter inducentur?

136. Quam ob rem omnibus pastoribus animarum valde commendamus, ne contenti sint opere suo tantum in ecclesia, sed ut *etiam extra ecclesiam populum edoceant viam, qua meliorem sortem adipisci possit, atque omni prudentia et providentia adiutorio sint populo in condendis et dirigendis praefatis coetibus*, ne propter ignorantiam vel defectum experientiae aberret et periclitetur.

2. Famuli.¹⁾

137. Agricola necessario indiget famulis et famulabus, qui in domum eius recepti semper in ea habitant atque laboribus commissis vacant. Oeconomia saltem maior talibus operariis stabilibus indiget.

Sed etiam familiae pauperiores, quae forsitan prole abundant, infantes suos prae numerositate, saltem institutione scholari completa, famulitio destinare coguntur.

Famuli ergo in vita sociali et domestica nullo modo possunt negligi, et quidem eo minus, quo magis hic status

¹⁾ Škof. List 1902, pg. 28. sqq. — Tilscher, Hausbuch, pg. 371. sqq.

nostris temporibus vilipenditur et cum magno agricolarum detrimento evitatur.

Quae tristis *circumstantia* pastores animarum *directe cogit, ut perpendant, quid de statu famulitio Ecclesia sentiat et quibus remediis sub hoc respectu tum agricolae tum famuli indigeant.*

138. a) Ecclesia docet, *famulum esse de familia domini*, cui se locavit. Famulus familiam propriam relinquit, ideo in domo, cui servit, novam familiam inveniat.

Famulus ob *humilem suum statum Domino Jesu Christo valde similis est*, nam Christus „servire venit, non servi“ (Marc. 10, 45.) et „formam servi accepit“ (Phil. 2, 7.). Quale solatium pro famulo!

Insuper famulus *ob humilem statum animam suam facilius salvare poterit, quam homines ei praepositi*, sui iuris et independentes. Divitiae et honores valde periculosae sunt, ne derelicto Deo servitium exhibeatur huic mundo eiusque oblectamentis. Famulus vero, qui orationi incumbit, propter Deum opera peragit, humiliter sentit et ex conscientia dominis obedit, sicque divitias sibi comparat, quae sunt verae divitiae.

b) Ast, prohi dolor, *nostris temporibus nemo vult servire, sed quilibet sui iuris esse vehementer cupit*. Inde iuvenes et virgines paterna domo derelicta in urbes properant, ubi in fabricis determinato tempore labori vacant, secus vero omnimoda libertate gaudent.

Causa talis migrationis in urbes principalis est jam *per-versa educatio prolis*, quae de obedientia et abnegatione sui nihil scire vult, quae vix illud tempus exspectat, ubi abiectis omnibus fraenis secundum proprium beneplacitum vitam instuere poterit. Quam ob causam famulatum perhorrescit atque urbes petit.

Ast neque *agricolae ipsi ab omni culpa absolvi possunt*. Famulum saepe non reputant tamquam membrum familiae, sed qua personam alienam frigide, severe tractant, vitam eius corporalem et spiritualem negligunt, ad recreationes domesticas non admittunt. Quid mirum, si famulus

pertaesus vitae tam solitaris et tristis, relicto rure urbem quaerit!

c) Inde *damna gravia* pro familia, pro famulo et pro vita sociali resultant.

Et quidem imprimis *damna quoad bona terrestria*. Agricola famulis privatus oeconomiam negligit. Urbes implentur multitudine in dies augescente. Famuli mercedem suam dissipant.

Maiora adhuc *damna oriuntur pro vita christiana*. Famuli morigerati et revera religiosi in urbe officia christiana quoad orationem, quoad dies festos, quoad Sacramenta paulatim negligunt, a sociis facilius in pravas societates alliciuntur, ut malae inclinationes sensim crescant, cor occupent et famulum in vitia pertrahant.

Imprimis *famulabus periculum valde grave imminet*. Iuvenes illis insidiantur, familiaritatem quaerunt, carnalia desideria excitant, amicitias voluptatis causa ineunt et ad peccata contra castitatem seducunt.

d) Rebus sic stantibus omnibus, qui populum amant, *praecipue animarum curatoribus obligatio incumbit, ut isthaec pericula iustis remediis quantum possunt, cohibeant*.

Valde proficuum erit, si famulis *possibilitas procurabitur perveniendi ad propriam domum, ad propriam possessionem*, quod observata iusta parsimonia absque nimis magna difficultate fieri poterit.

Agricolis explicetur et inculcetur *obligatio, famulos benigne tractandi eosque admittendi ad domesticas recreationes*, ac si ad familiam pertinerent; tali modo naturae, quae socialis est, satisficient famulosque ad domum suam atque familiam alligabunt.

Eundem finem *congregationes variae obtinere contendunt*. Iuventus amat societatem, recreationem, hilaritatem, maiorem culturam. Hoc iustum desiderium explebitur in variis associationibus pro iuventute, in congregatione Mariana, in collegiis pro opificibus et similibus, in quibus varii conventus celebrantur atque varia festa instituuntur. Famuli tunc facile in avita religione, in bonis moribus, in amore patriae continebuntur.

Insuper suadendum est agricolis, ut *ipsi famulos sibi educent*. Infantes e familiis pauperibus in propriam recipiant domum eorumque curam gerant, quasi proprii filii essent, ad obedientiam aliasque virtutes, in genere ad vitam christianam moveant, a pravis sociis retineant et postquam ad nubilem aetatem pervenerint, illos in condenda propria familia tum consilio cum opera adiuvent. Hac via agricola de bonis famulis sibi providebit.

Minime vero negligendi sunt famuli praesertim feminei sexus, in urbibus. His tutela specialis applicanda est associationibus aptis, porrigendo ipsis, quando servitio carent, domicilium securum, adiutorium vero, cum iam senio vel debilitate pressi ulterius servire non possint, nec non praestando illis occasionem varias artes addiscendi et animum scientia et spiritu christiano imbuendi. Hoc sensu consociationis, quae *S. Marthae* nomine Labaci nuper constituta est, finem nobilem laudamus eiusque prosperam promotionem sincere commendamus.

Denique *valde desideratur creatio specialis instituti eo fine*, ut famulis famulabusque honestae domus, heris vero famuli morigerati, famulae bonis moribus praeditae procurentur; quale institutum a sacerdotibus quoque, qui servitio indigent, sed personas honestas, super omnem malam suspicionem elatas, vix et difficillime inveniunt, valde acceptum erit. Forsitan tale institutum Labaci vel in aliis urbibus maioribus creari poterit.

139. *Monemus pastores animarum*, ut huic parti vitae socialis melius cognoscendae operam dent, ut tum in educanda iuventute, cum in instruendis agricolis et famulis, hunc finem prae oculis habeant aptioresque evadant, pro modulo suo ad solutionem perdifficilis huius quaestionis, quae usque adhuc neglecta fuit, aliquid conferre.

3. Operarii.

140. Inter diversos societatis ordines etiam *operarii miseram sortem experti sunt*, eo quod non solum duro et continuo addicebantur labori, sed etiam iure merito querebantur, se

etiam sub respectu politico et sociali nimis esse postpositos, sub respectu autem oeconomico multis saepe affligi iniuriis. Et recte propter operarios quaestio socialis pro societate humana summopere periculosa evasit.

Idque eo magis, quia etiam multi catholici hanc quaestionem non intelligebant putantes non esse hanc nisi quaestionem „ventris, quae brevi transitura sit, vel brachio armato prosterni debeat“.

Ast Summus Pontifex Leo XIII. vigili oculo periculosum statum perspexit atque de mediis adhibendis ter in litteris apostolicis qua summus magister totum mundum instruxit.¹⁾

141. *Summam laudem merentur viri, qui in nostra dioecesi secuti monita et doctrinam Leonis Pp. XIII. quaestioni sociali solvendae magno cum successu jam operam dabant dareque continuant.*

a) Huc pertinent *variae societates operariae*, imprimis in urbibus, in locis fabricarum et fodinarum. Societates instructione procurare nituntur, ut operarii imbuti principiis veritatis catholicae contra falsas socialismi doctrinas praemuniantur, conventus celebrant ad defendenda iura operariorum, honestas recreationes parant, ut animi eorum hilaritate impleantur, libellos edunt lectoriaeque ad maiorem culturam operariorum promovendam condunt.

b) Magnae, immo maximae utilitatis est *societas, quae media quaerit, quomodo operarii propriam domum sibi erigere et parvam saltem possessionem sibi acquirere possent.* Quae societas successus inopinatos iam obtinuit, eo quod viri amatores operariorum absque proprio lucro, imo cum suo dispendio, huic operi totos semet consecravere.

c) Omnes vero societates *in unum coadunatae* sunt, prouti Leo Pp. XIII. consilium dedit, ut sub communi directione facilius et securius progredi, iura sua defendere, amissa vero recuperare possent.

d) Istae societates insuper curant, ut sensus religiosus, adhaesio Ecclesiae catholicae, cognitio obligationis ad officia

¹⁾ Cfr. Krek, *Socijalizem*, pg. 576—592; Appendix ad Synodum dioecesanam titulo VII.

religiosa, sicque, vita christiana magis magisque foveatur et promoveatur. Etiam ad parsimoniam operarii hoc modo efficaciter invitantur.

142. Quapropter sacerdotes locorum, ubi major est operariorum numerus, enixe rogamus, ut operariis horumque associationibus libentissime opem suam offerant, obedientes venerando verbo Leonis Pp. XIII., qui nos strenue monet de studio quaestionis socialis et de porrigenda operariis manu adjutrice paratissima.¹⁾

4. *Reliqui status.*

143. Nec reliqui status negligantur. Pastores animarum per se et per probatos laicos illuc tendant, ut varii status conjunctionem sibi convenientem ineant et quasi in unum corpus organizatum coalescant, quo facilius interesse suum atque iura sua cognoscere, efficacius prosequi et *difficultates, quae a ceteris statibus illis opponuntur, celerius spiritu christianae charitatis componere valeant.*

Quam ob causam valde *probamus conamina*, ut etiam *mercatores*, qui ab organizatione catholica, propter damna, quae illis inde obvenerunt, abhorreere videntur, reconciliati organizationem innixam principiis catholicis inire, atque ita coadunati relationes cum reliquis statibus, ad speciem illis cffensis, conformiter ad modernas circumstantias ordinare vellent.

Curae sacerdotum, qui munere suo in urbibus funguntur, summopere commendamus *iuvenes, qui mercatorum sunt alumni vel adiutores* (sc. sic dicti „komí“), quique, si nonnullas urbes excipis, usque ad praesens tempus neglecti tum Ecclesiae, in qua nati sunt, tum vitae christianae, in qua educati sunt, abalienati vivunt, et proh dolor! ideis falsis stupidi liberalismi impleti eiusdem ferventissimos propugnatores se esse gloriantur.

Cum viri, qui animo hostili in Ecclesiam feruntur, feminas quoque, imprimis feminas magis excultas, ab Ecclesia

¹⁾ Vide Encyclicas Leonis Pp. XIII. in appendice ad Synodum titulo VII.

avertere conantur, ideo *summopere approbamus conamina virorum tum e statu sacerdotali, quum laicali, qui feminas ad familias meliores pertinentes in unum colligere*, atque in variis conventibus animum illis addere contendunt, ut vitam secundum fidem catholicam domi et fori aperte profiteri non vereantur. Valde desideramus, ut praefatae feminae puellis, praecipue quae in fabricis occupantur, amorem maternum exhibeant curentque, ut horis vespertinis in loco apto convenient, ibique in omni arte pro vita domestica utili et necessaria edoceantur. Dabit Dominus feminas exultas tali spiritu sacrificii, tali christiano amore erga proximum imbutas!

Ideo cum *laude associationis quoque puellarum mentionem facimus, quae in fabrica occupantur*; quae associatio sub directione sacerdotum puellis instructionem necessariam et recreationem honestam procurare studet.

144. In genere omnes in Christo adhortamur, ut semper et ubique veram fidem et vitam fidei conformem prae oculis habeant; nam absque veritate et vita christiana solutio quaestionis socialis impossibilis est; solummodo veritas christiana omnes et singulas relationes societatis sua luce illuminat, animosque ad aequam litium et differentiarum compositionem inclinat et inducit.

Cap. VIII.

De cura pro emigrantibus.

145. Quis *emigrationem tot fidelium* nostrorum in terras longinquas non deploret? Proh dolor, permulti *egestate* compulsi vel *alia necessitate*, e. gr. matrimonii ineundi, relinquere domum paternam coguntur; sunt vero etiam fideles utriusque sexus, qui solummodo *lucris causa* vel alia minus honesta ratione moti terras alienas petunt.

Qua emigratione *salus multorum periculo* exponitur; insuper *agricola* noster privatus adiutorio operariorum, vel coactus operariis conductis permagnam solvere mercedem,

vix aut ne vix quidem excolere potest campum suum vel vineas ac propterea debitis, in dies maioribus, immergitur.

Potestne sacerdos et patriota miseriam hanc videre et corde indifferens manere, et frigidus? Quid ergo faciendum?

§. 1.

De mediis generalibus.

146. Remedia generalia, ne *desiderium emigrandi fideles quasi inficiat*, praebere debet educatio :

a) Foveatur *amor patrii soli*, cuius curam gerere obligati sumus, unde sequetur, ne iuvenes et viri, hoc amore ducti, emigrent, nisi vera necessitas curae pro hoc solo illos compulerit;

b) edoceantur fideles *de vero valore laboris*, divitiarum omniumque rerum terrenarum, si lumine aeternitatis aestimentur;

c) assuefiant fideles, *contenti manere pane quotidiano*, licet splendide vivere datum illis non fuerit;

d) praecipue vero fidelibus *ab incunabulis inculcetur, totum mundum homini nihil profuturum, si anima detrimentum patiatur*;

e) iuventus imprimis ope *Sodalitatis Marianae* in vita pia firmetur atque in firmo proposito per sanctificationem dierum festorum et per fugam peccatorum, immo et periculorum ad peccata consulendi suae animae.

§. 2.

De cura pro emigrantibus in Americam.

147. Educatio sola non sufficit; nam, licet numerus emigrantium minueretur, emigratio ipsa omnino cohiberi numquam poterit: ergo pericula minuenda sunt. Ideo instare debemus ad sequentia:

a) Si *paterfamilias ad perpetuum Americam petit*, obligetur *mulierem suam statim secum ducere*, vel saltem *infra breve tempus* ad se vocare; provideat quoque proli suae;

b) si vero *paterfamilias ad tempus tantummodo* e patria migrat, petat a parcho litteras commendatitias ad curatorem animarum in illo loco, in quem conferre se intendit; obligetur, ut novo huic curatori quo citius semet sistat; si necessarium videtur, parochus quoque curatores Americanos certiores reddat de suis parochianis illuc profectis;

c) *iuvenes et virgines*, si domi retineri non possunt, similiter litteras commendatitias, in quibus nomen, parochia, status liber designatur, sibi procurent obligenturque, ut statim post adventum in novam patriam curato animarum semet sistant;

d) si quis *matrimonii causa* in Americam se confert, requirat prius omnia testimonia ab Ecclesia requisita, procuret quoque proclamationes, quae in America quoque eodem tempore fiant, ut post adventum in Americam matrimonium statim iungi possit;

e) omnibus emigrantibus, imprimis iuventuti commendetur, ut in America loca quaerant, in quibus nostrates iam occupantur, vel a quibus saltem ecclesia catholica non longe distat; ut societatibus illis nomen dent, quae a novo animarum curatore illis probabuntur; ut sodales Mariani vel socii Tertii Ordinis etiam in America suum sibi eligant praesidem, statuta observent, pravas societates fugiant, parsimoniam foveant, Sacramenta frequentent;

f) omnes, sive soluti, sive matrimonio iuncti, saltem illi, qui in patriam redire intendunt, *coniuncti maneant cum domo paterna, cum sua parochia, cum Sodalitate Mariana, cum Tertio Ordine*, quam coniunctionem litteris frequentioribus sustineant;

g) si possibile erit, schematismo dioecesano adiungatur descriptio illorum locorum, ubi nostrates maiori numero degunt, nec non parochiarum vel stationum curae animarum pro illis.

h) singulis et omnibus in Americam proficisci volentibus inculcetur, ut *ope et consilio societatis a S. Raphaelae*, quae Labaci quoque sedem suam constituit, utantur.

§. 3.

De cura pro operariis in Germania.

148. In Germania quoque multi in fodinis occupantur, ubi periculo exponuntur, ne socialismo nomen dent. Horum quoque curam habere tenemur.

a) Synodus *gratias aget episcopis atque sacerdotibus germanicis*, qui nostratibus curam animarum impendunt, praecipue rev. parrocho in Hamborn et rev. domino Köster, directori societatis operariorum slovenicae;

b) Synodus *rogabit rev. nostros PP. Franciscanos*, ut bis singulis annis, mense Octobri et post festa paschalia, duos saltem Patres in illas regiones missionis causa mittere non desistant;

c) parrochi, quo citius *ipsi conficere, et a gubernio procurare studeant testimonia necessaria pro ineundo matrimonio*, ne soluti eo quod testimonia necessaria diu expectant, in concubinato vivere incipiant vel continuent;

d) iuventus domi in *Congregatione Mariana* assuefiat vitae christianae impellaturque, ut Congregationem etiam in Germania continuat;

e) in Germaniam proficiscentes edoceantur de periculis socialismi, atque nomen dent *societati Slovenicae, quae a S. Barbara* nuncupatur.

Monemus omnes sacerdotes, ut his aliisve aptis mediis utantur, persuasi fore, ut mercede sua non priventur, sed ab aeterno Iudice uberrimam accipiant.

Cap. IX.

De libris et ephemeridibus.

149. Quilibet homo, utpote ratione praeditus, inhiat comparandae sibi maiori scientiae et culturae. Cum vero putet se *ope librorum, imprimis ephemeridum*, huic suae

inclinationi satisfacere posse, ideo libri, praecipue libelli et folia avide coemuntur et quasi deglutiuntur. Proh dolor, quod pravi libri et prava folia prae bonis diligantur. Homo enim ad malum inclinatus libenter passionibus variis indulget, inter quas sensualitas nec non studium independentiae primum locum tenent. Haud mirum, si illi libri atque illae ephemerides praeferuntur, quae istis passionibus adulantur.

Inde patet, libros et ephemerides quam plurimum in vitam totius societatis influere, quamobrem coacti sumus, ut huic quoque quaestioni rite solvendae curam adhibeamus.

§. 1.

De societate catholica typographica.

150. Societas catholica typographica in dioecesi nostra erecta intendit¹⁾ edere atque vulgare libros bonos, nec non editionem adjuvare ephemeridum, quae sensu religioso, et patriotico rediguntur.

En, praeclarus scopus, quem laudata societas decursu annorum 16 magna prudentia et circumspectione prosequatur. Et notum est omnibus, quam pulchros fructus tum in edendis et divulgandis libris, tum in adiuvandis bonis foliis revera sit consecuta, quantumque pro conservanda et stabilienda vita christiana in familiis contulerit.

Quamobrem *hanc societatem magnis encomiis laudamus, omnibusque et singulis sacerdotibus immense commendamus*. Insuper rogamus Deum, ut viris, qui absque ullo proprio lucro, immo cum multis sacrificiis huic perutili societati praefuerunt, vel adhuc praesunt, hoc servitium illi et populo fideli exhibitum abundanter retribuere dignetur.

Gaudio quoque affecti *consignationem* perlegimus eorum, qui huic societati nomen dederunt; vidimus enim, praeter egregios viros laicos, sacerdotes fere omnes societati huic esse adscriptos. Crescat et floreat, maneatque a Deo benedicta!

¹⁾ Koledar kat. tiskovnega društva, 1903. pg. 148. sqq.

§. 2.

De edendis et vulgandis libris atque variis foliis.

151. Vehementer dolemus dari in nostra dioecesi diaria, folia, libellos periodicos et alios libros, quibus tum fides, tum boni mores gravi periculo exponuntur. Ast iterum gaudemus de diariis, foliis, libellis periodicis conscriptis conformiter christianae doctrinae de fide et moribus.

Gratias agimus Deo, qui tot sacerdotes nobis procuravit aptos ad pertractandas quaestiones tum politicas, tum scientificas, paedagogicas et asceticas. Amor Dei illos impellat, ut onus perdifficile, praecipue onus redactoris ephemeridum aliorumque foliorum, forti et constanti animo sustineant, vitamque et persuasionem christianam in societate domestica conservent atque foveant.

In Domino autem *scriptores imprimis belletristicos* rogamus, ut praecipue in evolvendo themate ac depingendis familiaritatibus utriusque sexus stricte observent *verecundiam christianam, semperque prae oculis habeant praecepta theologiae moralis et asceticae* et peccata semper qua peccata describant, quae propter Deum et animae salutem absolute vitari debent; rogamus illos, ut in continuanda, promovenda et finienda thematis narratione lumine christianae veritatis ad vitam vere christianam respiciant, non autem ad mere naturalem, sicque vitam vere christianam promovere studeant.

152. Cum legibus de libertate typi, quae nunc praeparantur, novum periculum populo fideli immineat, eo quod uturum sit, ut libertas non solum imprimendi, sed vulgandi quoque libros ac ephemerides augeatur et vix ullis limitibus coërceatur, *non possumus non obsecrare in Domino primo moderatores societatis typographicae et redactores, ut unitis conciliis deliberent vias et modos, quibus bonae ephemerides, folia et libri in omnes pagos et vicos remotissimosque propagari possint, deinde omnes sacerdotes, ut in illis propagandis atque populo commendandis moderatoribus et redactoribus adjutricem opem praebeant simulque populo tum per se, tum per probatas personas invigilent, ne perniciosi libri, libelli et pravae ephemerides occulte illis insinuentur.*

§. 3.

De bibliothecis parochialibus et lectoriis popularibus.

153. Magnae utilitatis tum pro vita christiana in familiis, tum ad propagandos bonos libros et folia *sunt popularia lectoria et bibliothecae parochiales.*

Lectoria adiungi solent societatibus pro excolenda iuventute et pro promovenda civilitate populari; *bibliothecarum* vero constituendarum hinc inde initium jam factum est. Dolemus vero lectoria quaedam publica, quae prioribus temporibus ad fovendum amorem propriae nationis ope vel saltem sub auspiciis sacerdotum erecta fuerant, degenerasse et nunc minus verae civilitati, quam corruptioni morum promovendae comparata esse.

154. Ubi ¹⁾ bibliothecae et lectoria adhuc desiderantur, aut si, quae habentur, populo commendari non possunt, quippe quae finem Ecclesiae infensum prosequantur, illic omnes curatos animarum *adhortamur*, ut ad ecclesiam parochialem, quin immo in celebrioribus parochiae suae pagis, pecunia collecta bibliothecas parochiales ac lectoria cum bibliothecis vel cum aliis societatibus coniuncta instituant.

Profecto speramus fore, ut instituta, quae sacerdotibus originem suam debebunt et eorum moderationi suberunt, magnam utilitatem populo christiano afferre possint.

155. Ne vero fine obtinendo frustrentur, *suademus*, ut pastores animarum in illis instituendis aut moderandis haec puncta observare nitantur:

a) Instituta *initium sumant, licet modesta quidem origine*, in annos autem novis libris augebuntur, quos sacerdotes comparabunt vel dono accipient.

b) In bibliothecam *recipiendi erunt libri* populariter conscripti cum argumento religioso, morali, apologetico, historico, item qui sunt de quaestione sociali, de officiis civium, de administratione rei familiaris, de agricultura,

¹⁾ Cf. Statuta Synodi Premisliensis, 1902, pg. 302. sqq. Koledar tisk. društva 1901, pg. 136.

de pomorum cura et aliis, quae ad negotia domestica spectant. Fabellae, quae bonam rationem sequuntur, assumi possunt; quod vero fabulas attinet, quae romanenses dicuntur, magna cautio adhibenda est, ne forte in iuventute periculosae cupiditates excitentur vel foveantur. Omnino non recipiendi sunt libri vel ephemerides, quae fidei divinae vel moribus christianis adversantur, nec non scripta omnia, quae ab Ordinariis prohibentur.

c) Bibliothecas et lectoria ipse *parochus per se vel per suum cooperatorem administrabit*; si occupationes rerum sacrarum id non permiserint, administrationes eorum demandabit viris, quos religiosos ac de salute populi vere sollicitos probaverit. Quorum officium erit, libros, spectata intelligentia lectorum et indigentia morali, commodare et cavere, ne libri deperdantur.

d) Parochus *continuum custodiam* bibliothecae habebit, utpote dominio ecclesiae parochialis subiectae, neque permittet, ut parochiani, iusto magis in lectorio commorantes, a vita domestica abripiantur, vel prava studia et periculosae agitationes ibidem exoriantur et sedem habeant.

e) In lectoriis saltem una Dominica per mensem, post vespas, habeatur *colloquium* de rebus, quae populum tenent. Eidem praeerit sacerdos, ne a recta via abducatur. Interdum alienus sacerdos, vel etiam vir saecularis isque eruditus et pius invitari poterit, ut de quaestione, quae tunc populum maxime occupaverit, sermonem faciat.

156. Hisce observationibus fundamentum iecimus regulis exarandis pro bibliothecis secundum specificas loci circumstantias.

Summopere desideramus, ut sacerdotes sollicitam curam impendant lectoriis, quae cum bibliothecis vel cum aliis associationibus coniuguntur. Nam libri et folia, quae leguntur, sine dubio id efficient, ut non solum iuvenes in ulteriore eruditione iuventur, verum etiam seniores multis rebus, quae ad fidem et bonos mores, ad historiam soli patrii, vel ad administrationem rei familiaris et vitam socialem pertinent, solidius instruantur et ad bona consilia accendantur.

Neque illud momentum ethicum spernendum est, quod, cum lectiones coram congregatis familiaribus habendae, si nempe libri domum commodantur, in usum per domos venerint, multi ab improbis colloquiis et frequentatione cauponarum retrahentur.

Lectoria hoc insuper boni afferunt, quod illic complures parochiani convenire possunt, sive ut libros et acta diurna una legant, sive ut familiariter de rebus ad se spectantibus disputent, modo ut praelectionem de gravi aliqua causa audiant, modo denique ut dies tum Ecclesiae tum patriae solemnes agant.

§. 4.

De prohibitione librorum.¹⁾

157. Cum totus fere orbis terrarum colluvie variorum librorum, foliorum, pagellarum inundetur, cum inimici Ecclesiae non solum libris magno scientiae apparatu elaboratis, sed et parvis, qui minimo veneunt, libellis et per publicas et ad hoc confectas ephemerides sua venena populo, praecipue incautae iuventuti, instillare nitantur, valde necessarium nobis videtur notas facere *regulas, unde diiudicari poterit, qua lege et quinam libri prohibiti sint.*

1. Prohibitio lege naturali.

158. Pastores animarum moneant populum atque edoceant, dari libros, folia, diaria, quae ipsa *lege naturali* iam prohibita sunt, scilicet eo quod contraria sunt *obligationi naturali procurandi propriam salutem aeternam.*

Ideo²⁾ lege naturali prohibita est lectio libri, qui fidei vel bonis moribus periculum affert. Cum igitur ratio prohibendi sit periculum spirituale, quod ex lectione timendum est, consequitur:

¹⁾ Noldin, Summa theol. moralis, t. II., pg. 658 sqq., 777 sqq.; Wernz, Ius decretalium, t. III., pg. 101 sqq.; Gesta et Statuta Synodi dioec. Lavantinae a. 1896, pg. 237 sqq.

²⁾ Noldin, l. c. pg. 658 sqq.

a) Omne id esse prohibitum, *quod legenti damnum afferre potest*, cuiusvis formae vel magnitudinis sive typis impressum sive manu descriptum est; pari modo nihil referre, num quis librum ipse legat, an legentem audiat;

b) prohibitionem *hanc cessare, ubi omne periculum perversionis cessat*; ideo uni prohibitum esse potest, quod alteri licet.

159. *Gravitas peccati*, quod legens librum iure naturae prohibitum committit, non a qualitate vel magnitudine libri, *sed unice a periculo dependet, quod ex lectione enascitur*; si ergo periculum proximum gravis damni spiritualis timendum est, erit grave, si autem vel periculum remotum gravis damni, vel periculum proximum levis damni ex lectione oritur, leve peccatum erit. Quocirca ex causa proportionate gravi licitum est libros legere, ex quibus nonnisi leve aut remotum periculum timendum est.

Ergo *prava folia* legere, grave peccatum est, si ex lectione proximum periculum gravis damni spiritualis timetur; et quoniam *frequens lectio ordinarie eiusmodi periculum affert, ipsa ordinarie grave peccatum est*

Retinere libros pravos lege naturae eatenus prohibitum est, quatenus ex retentione periculum damni spiritualis proprii vel alieni oritur.

2. Prohibitio lege positiva.

160.¹⁾ *Ecclesia catholica supremam habet potestatem generatim libros pravos et noxios sive religioni et moribus inimicos suis quoque legibus condemnandi, et illorum editionem sive publicationem vel retentionem vel lectionem fidelibus prohibendi.*

Etenim cum Ecclesiae gravissimum incumbat officium, fideles ad veram sanctitatem aeternamque felicitatem perduendi, ei ius quoque competit per assiduam vigilantiam de integritate fidei morumque christianorum pericula salutis a suis fidelibus arcendi. Iam vero libris pravis et noxiis integritas fidei et morum christianorum ipsaque salus fidelium

¹⁾ Wernz, l. c. pg. 162 sqq.

maximis periculis exponi solet; ideoque Ecclesia pro suo iure gravissimoque officio huiusmodi libros a fidelibus arcet.

Unde patet alios scopos, v. g. suppressionem legitimae libertatis scientiae et opinionum a mente Ecclesiae prorsus esse alienos.

Quae res constanti Ecclesiae praxi mirum in modum confirmatur, neque illa adversariorum ratione refutatur, quod prohibitione pravorum librorum in fidelibus potius perversum desiderium illos legendi excitetur. Immo prohibitio Ecclesiae cum nitatur praesumptione periculi communis, non cessat, etamsi in casu quodam particulari illa praesumptio periculi non verificetur.

Denique praxis Ecclesiae saltem magna ex parte vel ipsis legibus civilibus comprobatur; nam nulla lex civilis eo progreditur, ut absolute omnes libros vel libellos libere divulgare permetteret.

161. Omnia praecepta Ecclesiae, quae de lectione atque editione librorum hodie adhuc vigent, continentur in Constitutione „Officiorum ac munerum“ Leonis Pp. XIII. de 25. Jan. 1897. ¹⁾ Qua Constitutione omnes leges hac in re editae abrogantur ita, ut vim legis non habeant nisi „decreta generalia de prohibitione et censura librorum“, quae praelaudatae Constitutioni adnexa sunt, aliud postulent.

162. Quod *obligationem* ²⁾ praeceptorum et prohibitionum huius Constitutionis attinet, dicendum: *in materia gravi obligationem esse gravem*. Finis enim legis arcendi a fidelibus periculum, quod ex pravorum librorum lectione fidei et moribus imminet, gravis est, et ad hunc finem obtinendum lex ipsa multum confert; idem praeterea ex additis poenis gravibus colligitur. Attendendum vero est, quod tum praecepta ex se gravia in materia levi, tum nonnulla huius Constitutionis praecepta leviora ob materiae parvitatem, sub levi tantum obligent.

Ast quando *materia censetur gravis*? Quoad *lectionem* grave peccatum committit, qui legit notabilem partem libri

¹⁾ Vide Škof. List 1897, pag. 41. sqq.

²⁾ Noldin, l. c. pg. 660.

prohibiti; tres quatuorve paginas omnes pro gravi materia habent, etsi in iis non contineatur error, propter quem liber prohibitus est; una vero vel altera pagina ad gravem materiam sufficit, si ibi continetur error, propter quem liber prohibitus est.

Quoad *retentionem* vero grave peccatum committit, qui librum prohibitum ultra tres quatuorve dies retinet. Si quis tamen librum prohibitum ex rationali causa retinet, v. gr. donec advenerit licentia, vel donec occasionem tradendi librum alicui habenti facultatem nactus sit, non est damnandus de peccato, quamvis diutius illum retineat, non tamen ultra mensem; nam intra hoc tempus petita licentia vel alia expectata occasio adesse potest.

3. *Prohibitio librorum in specie.*

163. Pro *concionatoribus et confessariis*, ut populum fidelem securius dirigere atque instruere valeant, ex operibus, quorum lectio et retentio per praeſata decreta generalia prohibetur, ea quae in usu quotidiano saepius occurrere solent, breviter recensebimus.¹⁾

a) Omnino prohibiti sunt libri *apostatarum, haereticorum, schismaticorum* et quorumcumque scriptorum *haeresim* vel *schisma propugnantes* aut ipsa *religionis fundamenta* utcumque evertentes (n. 2.).

Attendendum, quod „haeresim propugnare“ dicitur ille, qui haeresim non simpliciter proponit, sed rationibus additis tuetur. — „Religionis fundamenta“ intelliguntur veritates, quae sciri debent, ut quis fidem amplecti possit, cuiusmodi sunt existentia Dei, immortalitas animae, possibilitas et vis probandi miraculorum, possibilitas et existentia revelationis. — „Utrumque“ vero evertunt fundamenta religionis, qui quocumque modo i. e. allegatis rationibus, vel frivolis irrationibus, argumentis directis vel indirectis v. g. per scepticismum id efficiunt.

¹⁾ Noldin, l. c. pg. 673. sqq. — Wernz, l. c. pg. 118. sqq.

b) Item prohibentur *acatholicorum* libri, qui *ex professo de religione* tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri (n. 3.).

„A catholici,“ sunt omnes ab Ecclesia catholica alieni, sive baptizati sive non baptizati. — „Ex professo“ de religione tractat, qui secundum scopum principalem saltem in notabili parte libri per expositionem et probationes et defensiones disputat de rebus, quae spectant ad religionem sive naturalem sive supernaturalem, veluti de ethica, theologia, sacra Scriptura, historia eccl., iure canonico. — „Nisi constet“ i. e. moraliter, etiam in forma privata ex testimonio fide digno, „nihil“ i. e. alicuius momenti in illis contineri contra fidem catholicam.

c) Libri eorundem auctorum (i. e. acatholicorum), qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur (at forte iure naturali), donec speciali decreto proscripti haud fuerint (n. 4.).

d) Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittuntur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, *versiones* omnes in lingua vernacula etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint *ab Apostolica Sede approbatae* aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus (n. 7.).

Adnotandum, quod de facto et ex disciplina vigente Sedes Apostolica versionem sacrarum Bibliorum factam sine adnotationibus nunquam approbavit, licet approbare possit. — Quodsi vero versio vulgaris sacrae Scripturae facta sit cum adnotationibus et approbatione episcopi, eius lectio iure ecclesiastico est nunc permessa, nec ulterior quaedam licentia parochi vel episcopi requiritur.

e) Interdicuntur versiones omnes sacrarum Bibliorum quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae atque illae praesertim, quae per societates biblicas divulgantur, cum iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur (n. 8.).

f) Libri, qui *res lascivas seu obscoenas ex professo* tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, *omnino prohibentur* (n. 9.).

Ut liber „ex professo“ de obscoenis tractare videatur, duo requiruntur: ut directe et notabiliter de illis agat. „Directe“ i. e. ita ut ex tota indole libri appareat intentio scribentis, lectorem de peccatis turpibus instruendi vel ad libidinem excitandi, cuiusmodi sunt libri romanenses, qui illicitos amores narrant, atque describunt. „Notabiliter“ i. e. ita ut non solum obiter et sparsim hinc inde, sed aut toto libro, aut in notabili eius parte e. g. in integro capite de illis agatur. — His non prohibentur libri, qui de rebus quidem obscoenis agunt, sed eo fine, ut de illis necessariam institutionem suppeditent, ut libri anatomici, medicinales, scientiae moralis. — Imagines obscoenae expressis verbis hic non commemorantur; at certe istae imagines iam ex ipsa legis naturalis prohibitione edi vel publicari etc. nequeunt, immo etiam hac Constitutione attinguntur, si textui libri inserantur, qui revera dicendus sit ex professo tractare res obscoenas.

g) Damnantur libri, in quibus *Deo, aut Beatae Virgini Mariae vel Sanctis aut catholicae Ecclesiae eiusque cultui vel Sacramentis aut apostolicae Sedi detrahitur* . . . Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probis afficiunt (n. 11.).

Adnotandum, quod voce „damnantur“ etiam prohibitio contineatur. — „Eiusque cultui“ i. e. cultui, qui ab Ecclesia in functionibus liturgicis exercetur. — „Detrahitur“ i. e. detractio gravi notabili modo facta, licet „ex professo“ facta dici non possit. — „Hierarchiam“ ordinis vel inrisdictionis, vel eius gradus v. g. ordinem episcoporum, item „statum clericalem vel religiosum“ ut institutum Ecclesiae, non particulares personas ecclesiasticas vel congregationes religiosas.

h) Prohibentur pariter libri, qui *duellum, suicidium vel divortium* (sc. perfectum) *licita statuunt*, qui de sectis *massonicis* vel aliis eiusdem generis societatibus agunt easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse

contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur (i. e. propugnant) (n. 14.).

Errorres „ab Apostolica Sede proscripti“ sunt illi, qui immediate a Romano Pontifice vel mediante Congregatione aliqua vel etiam in Syllabo Pii IX. damnantur.

j) *Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt*, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure *proscripti habeantur*. — Curent autem ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere (n. 21.).

„Diaria“ intelliguntur ephemerides quotidianae; „folia“, quae semel vel aliquoties in hebdomada apparent; „libelli periodici“ fasciculi minoris molis statis temporibus apparentes. — Publicationes istae etiam „lege positiva“ prohibentur, si „data opera“ impugnant „religionem“ naturalem sive supernaturalem, (v. g. ephemerides tum liberales et socialisticae, tum atheisticae et materialisticae) aut bonos mores, i. e. si ex frequentia et copia, qua res impiae aut turpes in illis tractantur, apparet earum intentio impugnandi religionem aut bonos mores. Ergo lege positiva non prohibentur publicationes periodicae, in quibus hinc inde, obiter et per accidens aliquid contra religionem aut bonos mores continetur, nec illae, in quibus solum semel aut iterum eiusmodi articulus, etsi longior, reperitur. — Ex eo, quod eiusmodi publicationes nunc etiam lege positiva prohibentur, haec duo sequuntur: a) quod iis quoque interdican- tur, qui ex earum lectione nullum damnum patiuntur; b) quod integrae interdican- tur, non solum partes periculosae. — Graviter contra hanc legem non solum ii delinquent, qui eiusmodi foliis emendis associati sunt, sed etiam ii, qui citra associationem saepius ea legunt, vel semel iterumve notabilem partem de ea re tractantem, propter quam prohibita sunt. Semel iterumve in folio prohibito ea legere, quae non pertinent ad materiam prohibitam, veniale non excedit.

b) Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis vel foliis vel libellis periodicis quidquam (v. g. articulos scriptos vel alia) nisi suadente iusta et

rationabili causa (v. g. ad iustam propriam defensionem) publicet. (n. 22.).

4. *Poenae in transgressores statutae.*

164. *Decreta praedicta omnia sub peccato, ast non omnia sub poenis ecclesiasticis obligant.*

Poenae duos tantum casus respiciunt:

a) Omnes et singuli *scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae* libros apostatarum et haeresim propugnantes nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras *nominatim prohibitos*, eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes *excommunicationem ipso facto incurrunt Romano Pontifici speciali modo reservatam* (n. 47.).

b) Qui *sine Ordinarii approbatione SS. Scripturarum* libros vel earundem adnotationes vel commentarios *imprimunt* aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in *excommunicationem nemini reservatam*. (n. 42.).

5. *Monita.*

165. *Monemus* omnes sacerdotes, imprimis parochos et confessarios, ut praedicta decreta saepius perlegant ac insuper sedulo prae oculis habeant regulas a probatis theologis traditas circa eos, qui libros, diaria aliaque scripta damnata vel damnanda legunt vel retinent, easque in praxi applicare studeant.

166. Cum ¹⁾ autem inter omnia prava scripta periculosa sint, quae vigorem christianae virtutis enervant et impediunt sub speciosa et curiosa forma ementitae eruditionis et fictarum narrationum (i. e. earum, quae „romans“ dicuntur), vel in ludis scenicis recitantur cum iniuria privatae et publicae moralitatis, omnes animarum rectores, concionatores et confessarii *totis viribus curent*, ut fideles omnino abstineant ab improba huiusmodi infectione.

¹⁾ Acta et decreta Concilii plenarii Americae latinae a. 1899. pg. 67.

Pestifera autem pravarum ephemeridum diffusio totis viribus devitari debet, quia quotidiana experientia constat fidei vigorem ac christianos mores facillime labefactari in iis, qui ab earum lectione non abstinere. Illicita igitur prorsus est quaelibet cooperatio in huiusmodi ephemeridibus conscribendis et per associationem vel aliter propria pecunia sustinendis; neque facile admittenda est ratio passim adducta necessitatis, negotia publica diverso e fonte sciendi et praesumptuosa affirmatio carentiae periculi deductae e firmitate principiorum catholicorum in lectore. Qui enim amat periculum, in illo peribit. Qua in re confessarii prae oculis habeant doctrinas a probatis auctoribus traditas.

167. In specie *moneantur caupones* de peccato, quod proponendo pravas ephemerides, contrahunt.¹⁾

Non *licet proponere ephemerides, quae omnino malae sunt*, quae scilicet fidei et bonis moribus vix non semper adversantur, etsi a multis petantur, qui secus cauponam derelicturi sunt. Accedit, quod huiusmodi ephemerides etiam lege ecclesiastica prohibentur.

Ephemerides, quae *rarius tantum aliquid continent*, quod fidei vel bonis moribus adversatur, caupones petentibus in loco separato praebere possunt, si alias *notabile* damnum paterentur.

Solum, si experientia constat, hospites fere omnes ea folia petere, publice proponi possunt, modo simul etiam ephemerides bonae exponantur.

168. Sacerdotibus omnibus *in memoriam revocamus, quod de quibusdam diariis et foliis in nostra dioecesi editis pluries*²⁾ *iam mandavimus.*

Cap. X.

De vita nationali et politica fidelium.

De multis publicis rebus sententiae circumferuntur, quae ex integro vel ex parte falsae sunt; quorsum accen-

¹⁾ Noldin, l. c. pg. 119.

²⁾ Škof. List 1899, pg. 106; 1900, pg. 29; 1902, pg. 59 sqq.

sendae sunt ideae, quae haud raro de *iure nationali et constitutionali* divulgantur. Quam ob rem non possumus populum et clerum de his erroribus non monere.

§. 1.

De vita nationali. ¹⁾

169. Ratio philosophica unitatis nationalis, ut ipsa vox indicat, in communione propaginis (nativitatis) ex communi aliqua gentilitia stirpe sita est. Sed quoniam haec historice raro pura existit et vix directe constare potest, practice ad externos quosdam characteres reducitur, qui illam comitari et indicare solent.

Tales characteres tres numerantur: *lingua, specialis corporis typus et animi morumque indoles*, qua secundum constantem historicam legem singulae nationes non minus quam singula individua quandam proprietatem prae se ferunt. *Prae ceteris autem linguarum diversitas ad nationales limites discernendos vulgo inservit.*

Stabilita notione, quid sit natio, facile vera et genuina doctrina de *iuribus nationis* et de *principio nationalismi* deduci et percipi poterit.

1. Iura nationis.

170. Unde dimanat divisio generis humani in varias nationes cum proprietatibus, quibus una natio ab altera dignoscitur?

Dicendum, quod tum divisio generis humani in varias nationes, tum inde exortae nationales proprietates *a natura* dimanent, et quidem lege generali et immediate, immo magis immediate, quam societates civiles; quapropter *affirmare quilibet debet, nationes cum nationalibus suis proprietatibus non minus quam societates civiles partem aliquam ordinis socialis divinitus intenti constituere.*

¹⁾ Dr. Krek, Socijalizem, pg. 129. sqq. — Meyer, Institutiones iuris naturalis, t. II. pg. 302. sqq. — Cfr. etiam litteras pastorales episcoporum Austriae die 15. febr. 1891. Škofijski List 1891, pg. 25, 27.

Inde logice et necessario sequitur, *quamlibet nationem vel nationis partem*, etiam civiliter subordinatam, *ius habere naturale particularis suae existentiae nationalis*. Ergo ius naturale laederetur rectusque ordo perturbaretur, si politica potestas nationem aliquam in favorem ceterarum aut ad efficiendam homogenam populi aequalitatem particulari sua existentia nationali privare vellet.

Cives quoque suam *nationalem proprietatem inter pretiosissima personalia vel familiae bona habere solent*, eamque tamquam dotem a natura et suis progenitoribus hereditate acceptam pie colunt et magni faciunt; aliunde vero ad bonum commune non solum nulla necessitas, sed ne vera quidem utilitas reperiri potest, qua illi tanto suo bono intuitu rei communis renuntiare tenerentur.

Cum jam civitas obligetur, omnia bona, quae cives legitime possident, maxime autem ea, quae antecederent ad omnem nexum civilem a nativitate acceperunt, publice tueri: *revera cives pleno iure a civitate exigere possunt, ne per eam hisce bonis. i. e. iure naturali suae nationalis existentiae priventur.*

171. Nationalis vero *proprietas intime cum nationali lingua coniungitur*, qua deficiente illa quoque brevi deficiet. Itaque asserere quilibet debet, praefato iure ad particularem suam nationalem existentiam contineri simul ius ad conservandam nationalem suam linguam. Ut autem lingua conservetur, necesse est, ne eiusdem usus justo nimis coarctetur; imprimis requiritur, ne a scholis elementaribus excludatur, ut potius unice vel fere unice admittatur, quia scholae elementares praecipue educationi inserviunt, quae nonnisi usu linguae propriae nationis proficere potest.

172. Inde *reprobamus* omnia ista conamina, quae ope scholarum elementarium nationem particulari sua existentia privare tendunt, *probamus* autem quoad nostram dioecesin associationem Ss. Cyrilli et Methodii, quae nullum alium finem sibi proposuit, nisi tuendi iuventutem nationis slovenicae in regionibus, ubi illa periculo exponitur, ne ope scholarum elementarium iure naturali ad nationalem linguam et

existentiam privaretur; probantes vero hanc associationem illam instantissime *adhortamur, ut educationem vere christianam semper et in omnibus prae oculis habeat* illamque prae omnibus intendat, neque in congressibus vel institutis suis quidquam statuatur vel faciat, quod a veritate christiana alienum esset.

2. *Principium nationalismi.*

173. Historia decurrente evenit, ut civitas in unitate politica contineat totam aliquam nationem, eamque solam, vel partem tantum alicuius nationis latius diffusam eamque solam, vel plures nationes aut earum fragmenta.

Singuli ex praedictis eventibus neque emolumento suo, neque periculo carent. Tertius casus, qui in Austria occurrit, per se felicius utroque priore esse videtur. Nam propter multipliciter elementorum socialium fit, ut in ordine ad communem omnimodam perfectionem mutuo sese compleant; quod emolumentum ad harmonicam evolutionem civilis culturae tum intellectualis tum materialis et in genere ad veram communem civium prosperitatem magni faciendum est, at solum supposita sufficienti cohaesione politica, quae longiore historico consortio et prudenti legislatione firmari debet.

174. Huic unioni variarum nationum, quarum saltem una pars cum aliis in politicam unitatem coniungitur, altera autem fors latius diffunditur, opponitur sic dictus *nationalismus*, qui pro elementis eiusdem nationis, historice et politice disiunctis, ius praetendit, quo vindicare sibi possent facultatem coalescendi in unum corpus politicum.

175. Nos quidem existimamus, hoc *ius nullo modo probari nec ulli nationi vindicari posse.*

Verum quidem est, communem nationalitatem praecipuum locum occupare inter illa naturalia momenta, e quibus omnis socialis unio atque cohaesio oritur, ergo e quibus politica quoque unitas efficitur; et per consequens, si per se solum spectatur, negari non potest, quod illi, tanquam effectus naturalis, respondeat partitio civitatum secundum nationes.

Sed *nationalitas nequaquam unicum*, neque semper prae ceteris fortissimum *momentum naturale est*, quod ad corpus sociale politice unum efformandum cooperatur. Longe fortius non raro vinculum socialis unionis exoritur ex vicinia cohabitationis, ex mutua indigentia et necessitate, ac praesertim ex communi historia, id est ex longiori coexistentia sub eodem regimine iisdemque publicis institutionibus, e communibus periculis et laboribus, e triumphis et casibus, e communibus etiam virtutum exemplis et gloriae momentis, contexta. Hinc in ordine naturae reali et historico fieri plane non potuit, ut iidem ubique essent fines civitatum, qui et nationum.

Id ipsum non solum a naturae Ordinatore intentum, sed etiam sapientissime pro tota humana societate provisum esse intelligitur, prouti iam diximus. Quod in corpore sociali domestico coniugia sunt, quibus nativa sanguinis unitas adventitia affinitate cum sanguine extraneo interruptitur et modificatur, id fere per quandam analogiam esse videtur in corpore politico diversarum nationum consociatio ad unitatem politicam in una civitate.

Ex his manifeste consequitur, ius aliquod naturale constituendi unum corpus politicum nequaquam veluti privilegium nationibus, nec proinde unquam ut titulum iuris invocari posse, quo, in favorem unitatis nationalis, compages corporis politici, historico iure legitimo, pro arbitrio solvatur aut mutiletur, ubi primum vires suppetant.

176. Quam ob rem *principium nationalitatis absolutae solemniter reiicimus*; dein ut *summam iniustitiam proclamamus usurpationem status pontificii factam sub praetextu nationalis unionis*, eiusque postulamus reparationem; denique cum *indignatione quoque reprobamus varia conamina contra integritatem imperii Austriaci*, cui invocato principio nationalitatis nefandi inimici interni et externi magnas partes avellere intendunt atque ob hunc iniustissimum finem genti slovenicae linguam alienam obtrudere conantur; probamus autem omnes, qui tum verbo tum scripto conamina illa

repellere nituntur, atque etiam ex hac patriotica ratione jura ad usum linguae patriae in scholis elementaribus defendunt.

Omnes vero sacerdotes, imprimis illos, qui ephemeridibus edendis et conventibus politicis dant operam, *enixe rogamus*, ut luce principiorum, quae modo indigitavimus, semper et ubique populum edocere sicque non minus defectum in hac re, quam excessum provide cavere nitantur.

§. 2.

*De iuribus constitutionalibus.*¹⁾

177. Donati sumus *constitutione et iuribus constitutionalibus*, quae imprimis electione deputatorum in comitia provinciae et imperii exercentur. Propter falsas notiones, quae hinc inde audiuntur, coacti sumus tum de *systemate, tum de electionibus genuina proponere principia*, illa dico, quae cum veritate catholica omnino concordant.

1. Systema constitutionale.

178. Consentimus philosophis, qui dicunt, quod systema constitutionale, licet per se et ex natura sua sanis principiis socialibus nullatenus congruat, pro statu tamen abnormi societatis civilis, qui illius initia praecedebat et comitabatur, per decursum saeculi XIX. generatim loquendo neque practica utilitate, neque relativa oportunitate caruerit; immo nec ab illis viris doctis perhorrescimus, qui affirmant, quod hoc systema pro interrupto et paulatim restituendo normali statu societatis non sine benevola et sapienti Dei providentia in moribus politicis populorum invaluerit, duplici interim malo publico, nempe absolutismo imperantium et radicalismo democratico, aditum praecludens.²⁾

179. Hoc systema etiam in Austria locum obtinuit, ex quo populi ad cooperationem in legislatione vocati sunt. Hoc ius summi momenti cives per electionem eorum exercent, qui ipsos in comitiis repraesentent et vi legum eorum

¹⁾ Meyer, Institutiones iuris naturalis t. II. pg. 447 sqq. — Stöckl, Lehrb. der Philosophie Bd III. pg. 403 sqq.

²⁾ Meyer, l. c. pg. 456, 460.

bonum promoveant. Patet, repraesentationem populi apud nos esse legislativam. Inde theoretice duo requisita resultant: ¹⁾

a) Non quilibet numerus arbitrarie delectus in ordine ad exercendum munus legislativum recte dicitur populum repraesentare; sed ad hoc *necesse est, ut coetus deputatorum, quantum fieri potest, per iustam sui compositionem ex variis elementis societatis communi iure politico fruentibus quasi in compendio faciem totius populi tamquam moralis unitatis referat.*

Ratio est: quia, ubicumque per legem fundamentalem ad populum pertinet, sive ipsam legiferam potestatem exercere, sive ad eam directe cooperari, profecto talis potestas neque singulis civibus, neque singulis fragmentis aut membris organicis populi qua talibus inesse censenda est, sed toti populo secundum eius individuum unitatem moralem. Huic ergo aliquo modo assimilari debet corpus repraesentativum, quod proprie non sua, sed populi iura huius nomine exercet.

Huic vero iustae proportioni certe contradiceret, si una vel altera tantum civium classis, fors opibus et ambitione excellens, sibi soli, ceteris neglectis, gloriosum nomen populi simul cum eius iuribus publicis fere exclusive arrogaret, et notabiles civium partes, aequali iure constitutionali praeditas ac publicis oneribus fors magis gravatas, per fraudulentas industrias vere congrua repraesentatione frustrando.

b) Quemadmodum coetus deputatorum qua corpus legislativum totum populum secundum eius unitatem repraesentat, ita *et singula membra huius coetus*, quatenus munus legislativum participant, non tantum partem aliquam populi, v. g. suos electores, *sed totum populum repraesentare debent* i. e. in suis suffragiis bonum vere commune intendere eique cuncta particularia subordinare; nam finis essentialis omnis activitatis legislativae est bonum commune corporis socialis.

180. Jam quaeritur de *modo, quo populus* in ordine ad legislativam cooperationem *repraesentandus sit.*

¹⁾ Meyer, l. c. pg. 469. sqq.

Modus dependet de varia sociali structura populi re-
praesentandi. Per se quidem socialis structura populi organica
est. Unde omnis alia populi consociatio a communi norma
naturae deflectere, et eatenus non naturalis, sed artificialis
dicenda est. Huc imprimis pertinet forma societatis, ab anno
1789 per iuris individualismum late propagata, qua scilicet
populus ex coordinatis civilibus elementis ceu atomis, gradu
et iure aequalibus, ad unitatem conflari censetur.

Ab hac autem structurae socialis diversitate modus ac
gradus dependent, quo generalis regula de constituenda
legislativa populi repraesentatione supra enuntiata particulari
populo in concreto practice applicari possit.

a) Populus, in quo conservata vigeret structura socialis
organica, ut vere qua talis per compendium exhibeatur,
analogam repraesentationem deposceret. Quare non indi-
vidua elementa numero computata, sed organica membra
populi seu ordines socialiter distincti proxime et immediate
repraesentandi sunt, *neque hi aequaliter, sed ordine quodam*
hierarchico i. e. secundum gradus praestantiae et socialis
influxus. At etiam in hac forma repraesentationis necesse
est, ut suffragia legislativa bonum particulare singulorum
ordinum eatenus respiciant, quatenus cum bono communi
totius corporis obiective concordat.

b) Cum vero talis ordo socialis ubique omnino, vel
saltem ex parte ratione iuris civilis disruptus est, eiusque
loco structura artificialis secundum principium civilis aequali-
tatis viget, repraesentatio quoque populi huic conditioni
aliqua ratione accommodetur necesse est. Sunt varii modi,
e quibus duos commemorare volumus.

α) Populus repraesentatur ut numerus civium aequali
politico iure fruendum, idque vel ope suffragii, legali aliqua
electorum qualitate limitati, qua genuinum civium corpus a
plebecula secernatur. Quod hoc modo proprie praesentatur,
vix aliud esse solet, quam numerica relatio partium politi-
carum inter se, quae secundum varia politica principia et
studia actu in populo vigent.

Hic modus, qui solus ideam liberalis doctrinarismi propriam prae se fert, quadam simplicitate quidem commendatur, nec non fini legislativo eatenus prae ceteris respondet, quod singuli deputati vi sui mandati non aliquod interesse particulare aut locale, sed commune totius populi repraesentant. Realiter tamen vix non semper fictione iuris laborat, quia revera non totus populus, sed, in conflictu divergentium opinionum politicarum, ea tantum pars civium effective repraesentatur, pro qua maior contigerit esse numerus suffragiorum, neglecto fere omnino numero minore, quamvis forte ad illum proxime accedat.

Accedit, quod partium studium, postquam in electionibus triumphavit, plerumque etiam in legislatione similes triumphos molitur; unde fit, ut majoritas victrix non raro in ipsis proponendis et commendandis legibus, veri boni communis oblita, eo potius omni conatu conspiret ut, despotice oppressa minoritate, suam victoriam perennem faciat.

β) Vel populus praesentatur qua socialiter distinctus in varias civium classes secundum praecipuos vitae status et conditiones singulis proportionatam repraesentationem ope liberae electionis tribuendo. Hoc modo non tam iura politica personarum, quam iura et commoda communia uniuscuiusque classis civium repraesentantur.

Hic modus destructum historicum societatis organismum, qui socialibus ordinibus tamquam membris iure discretis olim constabat, aliquo modo compensare conatur. Cuius rei fundamentum aliquod praebet ipsa illa naturalis inaequalitas hominum nexu civili coniunctorum, quam nulla unquam politica civium aequalitas lege sancita tollere valet. Unde fit, ut nullo non tempore aliquae populi classes per varios suos vitae status et conditiones realiter distinguantur.

Quod autem singula membra coetus repraesentativi hac methodo electi directe non res communes totius civitatis, sed particulares a suis electoribus sibi demandatas repraesentant, deliberationem quidem, quae legislationem praecedere debet, plurimum iuvat; minus per se favet muneri proprie legislativo per eundem coetum exercendo, quia

admodum difficile videtur ex pugna inaequali tot particularium studiorum id solum denique e collectis suffragiis resultare et vim legis obtinere, quod non tantum aliquarum potentiorum classium populi, sed vere bonum commune reipublicae dicendum sit.

181. Haec principia secuti doctrinam sanam doctorum catholicorum uberius proposuimus, ut sacerdotes varios motus, relate ad electionem deputatorum apud nos agitados, rite diiudicare et populum informare valeant. In genere dicendum est: Repraesentatio populi iusta, aliqua lege ac methodo electionum ita saltem moderanda est, ut in coetu legislativo non tantum factio civium, numero vel ambitiosa industria praevalens, sed quantum fieri potest, vere populus repraesentetur.

Si ergo talis repraesentatio usitata methodo electionum obtineri non potest, et si extensio iuris eligendi ad novas classes, quae usque nunc ab illo excludebantur, vel si methodus electionis occultae, directae, immediatae et universalis ad talem iustam repraesentationem, ad quam populo ius competit, magis conferre potest, certe defendi, immo mediis licitis adpeti potest.

Sed in tali conflictu bene cavendum est, ne voluntas populi iusto plus efferatur, neque appareat, ac si suprematia populi defenderetur, ac si populus eiusque voluntas excluso Deo esset fons cuiuslibet iuris et auctoritatis, quod principium atheisticum veritati christianae de Deo Creatore absolute repugnat.

2. *Electio deputatorum.*¹⁾

182. Quia populus ad participationem in legibus ferendis admittitur et provocatur, huic suo iuri et obligationi

¹⁾ Actiones et Constitutiones synodi dioec. lavantinae a. 1900, pg. 489. sqq. — Noldin, Summa theol. moralis t. II. pg. 301. sqq. — Škof. List, epistola pastoralis episcoporum Austriae a. 1891. pg. 26. sq., 1897. pg. 1. sqq.

praecipue per electionem eorum, qui eum in legibus ferendis repraesentabunt, satisfaciet; inde exurgit quaestio magni momenti de obligatione eligendi *dignos deputatos*. Ad solvendam quaestionem sequentia principia prae oculis habeantur:

a) Quilibet tenetur bonum commune necessarium vel utile promovere et damna reipublicae prohibere; ergo cives ex iustitia legali tenentur uti facultate eligendi, quando usus huius facultatis ad promovendam bonam vel impediendam malam electionem necessarius vel utilis est.

Haec obligatio erit gravis vel levis pro ratione boni, quod promoveri, vel ratione mali, quod a communitate averti potest. Iam vero certum est omnesque consentiunt, nostro tempore bonum cum Ecclesiae tum reipublicae ab electionibus multum pendere; quare obligatio gravis concurrendi ad electiones existere potest.

Si eligendi sunt duo candidati, quorum alter bona, alter mala sequitur principia, aut alter magis, alter minus mala, existit obligatio concurrendi, quamdiu prudenter sperari potest fore, ut candidatus bonus vel saltem minus malus eligatur.

Si quis prudenter sperare potest fore, ut suo concursu ad electionem plures alii pertrahantur ad eligendum et sic electio mala impediatur, pro ipso existit gravis obligatio eligendi. Gravis obligatio adest etiam pro iis, qui iuste timere debent, ne abstinentes ab electione causa sint, cur sufficiens numerus bonorum deputatorum desit.

Admitti quidem debet legitima excusatio concurrendi in electione, si talis concursus magnum incommodum affert, quia leges affirmativae non obligant cum tanto incommodo, tale autem incommodum non est iactura temporis, vel labor ad id necessarius, nec irrisio vel convitium malevolorum, sed solum magnum damnum, vel notabilis vexatio et alia huiusmodi.

b) Electores obligantur eligere *dignum et idoneum*; nam electores per se videntur approbare principia et actiones eorum, quos eligunt et quia scienter eligentes indignum et

ineptum cooperantur ad omnia mala, quae electus infert reipublicae vel Ecclesiae et quia aliis scandalo sunt.

Candidatus debet dici ineptus, si ex defectu scientiae, prudentiae, experientiae impar est officio suo, tum praesertim si est infensus religioni catholicae. Quare ut vere idoneus haberi possit, vir catholicus esse debet, qui non solum ingenii et prudentiae laudibus claret, sed etiam secundum principia catholica munere suo fungitur. Graviter peccant, qui scienter eligunt candidatum principiis catholicis infensum, ut sunt liberales et socialistae, eumque iuvare intendunt, ut pravos suos fines assequatur, etsi alias peritiam prae se ferat: formaliter enim cooperantur ad malum.

Si accidat, ut electoribus solum optio detur inter duos candidatos, qui ambo mali sunt, ut liberalis et socialista, quorum tamen unus minus, alter magis indignus est, per se ab electione abstinere debent; si tamen efficere possunt, ut reiecto magis indigno minus malus eligatur, concurrere licet, cooperari enim licet actione indifferenti ad minus malum, ut maius malum impediatur, quae intentio, si opus fuerit ad praecavendum scandalum, publice declaretur.

c) Omnes, qui catholice sentiunt, tum sacerdotes, tum laicos, *obsecramus, ut tempore electionum vocem Ordinarii sui audiant, qui curare tenetur, ne per deputatos ad comitia sive provinciae sive imperii iura Ecclesiae, immo fides catholica in discrimen coniiciatur.* Quam ob rem etiam vi muneris sui coram Domino obligatur, populum suum de electionibus nec non de eligendis fideliter et intrepide instruere.

3. *Societas catholico-politica Carnioliae.*

183. *Magnis laudibus prosequimur societatem catholico-politicam, totam amplectentem Carnioliam, quae finem sibi proposuit invigilandi vitae politicae, instruendi populum de quaestionibus et fractionibus politicis, dirigendi electiones in comitia, nec non adiuvandi deputatos in iudicio de situatione politica et de modo procedendi.*

Desideramus, ut eiusmodi generis societates per omnem dioecesin erigantur, *saltem in omnibus decanatibus*, prouti hinc inde iam factum est, ut impulsu obtento a centro imprimis tempore periculorum et electionum universus populus eodem sensu edoceri et ad conformem ubique actionem excitari possit.

Firmiter vero confidimus, viros moderatores huius societatis nunquam discessuros ab Ordinario, immo potius in intima cum illo coniunctione et unitate permansuros.¹⁾

§. 3.

De congressibus catholicis.

184. Ubique locorum *congressus catholici* celebrantur. In nostra dioecesi iam bis convocati fuerunt. Quis non consentiet nobis affirmantibus, utrumque congressum pro vita populi christiana, politica et sociali multum contulisse. Nam quaestiones fere omnes, quas in titulo praecedenti de educatione iuventutis et in praesenti titulo attigimus, in congressibus discussae atque populo ab optimis oratoribus expositae fuerunt; immo ut fructus obtineatur, conclusiones solutioni quaestionum conformes conceptae atque approbatae collegio virorum fuerunt demandatae, ut cura illius collegii executioni mandetur.

Cum congressui episcopi dioecesani praefuerint, qui discussionibus et conclusionibus consensum suum praebuerunt, patet, *congressum magnae esse auctoritatis*, eiusque conclusiones a veritate christiana non dissentire, immo ipsi conformes esse.

Perspectam habentes permagnam utilitatem, quam congressus catholici pro obtinenda et conservanda unanimitate actionis catholicae et politicae atque pro informando et excitando populo, ne in ignaviam et indifferentismum immergatur, attulerunt; *desideramus, ut tales congressus spatiis non nimis distantibus convocentur et celebrentur*, provocamusque societates catholico — politicas, imprimis modera-

¹⁾ Cfr. Litt. encycl. Leonis pp. XIII. in appendice titulo V. cp. III. §. 2.

tores centrales, ut tempore idoneo et apto, praecipue tempore, quo maiora pericula populo christiano imminerent, vel quaestiones maioris momenti, in quibus unanimis actio valde necessaria est, discutiendae et solvendae essent, congressus catholicos sub protectione Ordinarii praeparare et convocare inistent.

Titulus IV.

De educatione et vita tum privata tum pastoralis Clericorum.

185. Quod Christus Dominus monet: „Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est“, ¹⁾ hoc utique prae ceteris fidelibus clericos attinet, qui vitam vivere tenentur, qualem eorum exigit professio.

Teste etiam Concilio Tridentino ²⁾ nihil magis alios ad pietatem et Dei cultum assidue instruit, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorē sublatis locum conspiciantur: in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. ³⁾

Haud mirum, si Ecclesia inde ab initio tum educationi, tum vitae clericorum omnem curam impendere solet, multaque praescripsit atque instituit eo fine, ut clericos secundum cor Dei educaret eosque aptos redderet ad munus pastorale, quod tam sublime est, rite et cum fructu obeundum.

Quapropter nostri officii esse arbitramur, ex institutis Ecclesiae ea in mentem revocare et omnibus inculcare, quae ad *educationem cleri, eiusque vitam tum privatam tum pastorem praeprimis apta, immo necessaria censemus.*

¹⁾ Matth. V. 16.

²⁾ Sess. XXII. de reform. cap. 1.

³⁾ Cfr. Instr. Eystett. pag. 440.

Cap. I.

De Seminariis Clericorum.

186. Nulla in re tanta cautio episcopis praescribitur,¹⁾ quam, ut ne cito alicui manus imponant, eo nempe consilio, ut neminem ad sacros ordines admittant, cuius virtutem et idoneitatem iamdiu cognitam et perspectam non habuerint. Iam vero tunc solum episcopi rem hanc facilius ac tutius assequi poterunt, cum ecclesiasticos adolescentes suis sub oculis succrevisse viderint tamquam „lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.“²⁾

Huc accedit, quod cum „adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedit ab ea“,³⁾ mirum, quantum interest, ut *exquisitissimo studio ab unguiculis clerici bonitatem, disciplinam ac scientiam doceantur.*

Eadem ratio patres concilii Tridentini impulit, ut decretis huius concilii episcopos omnes *ad erigenda seminaria* obligarent. Ait enim concilium Tridentinum:⁴⁾

„Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret, sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales . . . ecclesiae pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum . . . numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo, alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.“

„In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sunt, . . . et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesia-

¹⁾ Cfr. Lucidi: de visitatione liminum cap. I. §. 9.

²⁾ Ps. I. 4.

³⁾ Prov. 22.

⁴⁾ Sess. 23, cap. 18 de reform.

sticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo sumptu suo alantur et studium prae se ferant, Deo et Ecclesiae inserviendi.“

187. Patet, *a concilio Tridentino intendi seminaria, in quibus inde a puerili aetate educatio tum moralis tum scientifica praebeatur illis, qui sacerdotes sunt futuri.* Si decretum concilii nostrae modernae aetati applicamus, dicendum, seminaria esse erigenda iam pro pueris, qui absoluta schola elementari ad scholas medias, i. e. gymnasia progrediuntur. Ex intentione ergo concilii Tridentini alumnis in seminario ipso ea litterarum scientia propinetur, quae in scholis gymnasialibus iuventuti praeberi debet, qua scientia comparata alumni ad ulteriora studia in disciplinis theologicis ascendant. Dicuntur autem clerici et seminaria appellantur clericalia, quia pueri admissi in seminarium simul etiam ad tonsuram, et propterea etiam ad statum et habitum clericalem admittebantur et nunc quoque in pluribus regionibus admitti solent.

188. Nihil est, quod magis adlaborarint Summi Pontifices, quam ut saluberrimum hoc decretum omnibus modis promoverent et inculcarent. Iam Clemens VIII. litteris suis apostolicis „Ea semper fuit“¹⁾ executionem illius decreti in memoriam episcoporum revocavit et impensissime inculcavit. Benedictus XIII. in concilio Romano anno 1725 ad omnes episcopos Italiae et insularum adiacentium gravissimam dedit Constitutionem, qua ipsis acrius incitamentum ad seminarium erigendum adiecit, ubi nondum fuisset institutum. Inter praecipuas curas, quibus Pius IX. pro singulari suo studio erga ecclesiasticae disciplinae conservationem et sacrarum scientiarum cultum continuo premebatur, seminaria non ultimum habebant locum, uti complura acta testantur. Id dicendum de Leone XIII., qui nobis ipsis, cum intentionem nostram de erigendo seminario secundum mentem concilii Tridentini illi explicuimus, speciali modo benedixit.

¹⁾ De anno 1592. Cfr. Lucidi de visitatione sacr. liminum cap. I. § 9.

Neque aliter unquam se gessit S. Congregatio Concilii; sicubi enim seminarii defectum deprehendit, pro constanti disciplina episcoporum sollicitudinem excitavit et accendit, ut nullum lapidem non moveant, nihil inausum relinquant, quo tantum Ecclesiae suae bonum provideant.

189. *Quaestio ergo de utilitate, immo necessitate seminariorum tridentinorum*, quae ab auctoritate ecclesiastica, in hac re unice competente, inde a concilio Tridentino usque ad Leonem XIII. adeo universaliter et constanter est asserta, saltem *viris catholicis controversa esse non potest*, neque argumenta futilia, quibus viri acatholici et etiam nonnulli catholici proprio suo ingenio, non legibus Ecclesiae obtemperantes seminaria impugnarunt, rem certam et ab Ecclesia definitam in controversam commutare possunt.

Nam quidquid est necessarium, ut clerus eam attingat fidei catholicae integritatem et constantiam atque morum honestatem et perseverantiam in virtutum et orationis studio cum solida scientia et decore clericali unitam, quam ministerium sacerdotale adeo sublime et sanctum omnino requirit, id sapienter ab Ecclesia praescribitur. Jam vero ad hunc finem maxime nostro tempore erectio seminariorum non tantum est conveniens, sed vere necessaria; eadem enim valent rationes, ac tempore concilii Tridentini, immo ob maius fidei et morum periculum fortius urgent. Neque nostra aetate consuetudo obedientiae et vitae honestae vereque clericalis sacerdotibus necessaria subito acquiritur, sed non nisi paulatim et longa exercitatione, cuius optima palaestra est seminarium. Scientifica autem institutio sine seminariis dioecesanis quamplurimis adolescentibus propter paupertatem est impossibilis, aut non ea fidei puritate et soliditate et ordinatione doctrinae traditur, quae in sacerdotibus requiritur. ¹⁾

190. Ex usu moderno seminaria dividuntur *in seminaria minora*, seu puerorum, in quibus iuventus in omnibus disciplinis, quae pro studiis gymnasialibus praescribuntur,

¹⁾ Cfr. Wernz: Ius decret. t. III., pg. 88 sqq. Synodus dioec. lavant. an. 1900, pg. 394 sqq.

informatur; et in *seminaria maiora* seu clericalia, quae studiis theologicis in specie destinantur.

In nostra dioecesi utrumque seminarium reperitur; fulti decretis concilii Tridentini, constitutionibus Summorum Pontificum nec non S. Congregationis Concilii desuper *nostra vota ac desideria pandere et decreta condere properamus.*

§. 1.

De Seminario minore.

191. Seminarium minus vel puerorum ab episcopo Antonio Aloysio Wolf a. 1848 Labaci erectum et fundatum fuit. Ex intentione illustrissimi fundatoris hoc seminarium decretis concilii Tridentini conformari debuisset, ita ut seminaristis illuc receptis omnis educatio moralis simul et institutio scientifica, prout in mediis scholis requiritur, suppeditaretur. Ast iste finis ob defectum mediorum obtineri non potuit: pueri quidem in seminario aluntur, sed ad scientificam institutionem frequentare tenentur gymnasium publicum; nihilominus fatendum, ex hoc seminario decursu annorum multos sacerdotes revera exemplares prodiisse.

192. Praedecessores nostri omnes vehementi occupabantur desiderio seminarium puerorum amplificandi et decretis tridentinis omnino conformandi, quae vero vota executioni dare non potuerunt.

Nos quoque, postquam munus episcopale suscepimus, simili desiderio fuimus impleti. Nihilominus tam grande opus aggredi vix ausi fuisset, nisi congressu iuventutis nostrae academicae, Labaci mense Augusto anni 1898 celebrato, efficaciter ad illud excitati fuisset.

Intentionem nostram Vobis, dilecti cooperatores in vinea Domini, litteris de die 30. Augusti 1898 pandimus. Hisce litteris in nucleo proposuimus programma, quod obeundo nostrum munus iam tunc prae oculis habuimus et exinde magis magisque evolvebamus; in hoc programme qua punctum primum proposuimus: aedificationem seminarii minoris conformiter decretis Tridentinis.

Ex quo tempore semper opere hoc occupamur. Repetita vice de hoc instituto tum ad populum, tum ad vos verba fecimus ¹⁾; progressum operis singulis annis decanis in nostris aedibus collectis exposuimus ²⁾; ad media quaerenda provocavimus. Immo anno 1901 mense Mariano prima fundamenta iacere, die vero 16. Junii in festo B. Mariae de monte Carmelo lapidem angularem ponere et benedicere datum nobis fuit. ³⁾

193. Aedificatio novi seminarii *opus certe est magni momenti*, quod ingentem pecuniarum curarumque molem exigit. Nihilominus solet S. Congregatio ⁴⁾ episcopos admonere, quando eos seminario carere videt, ne animo despondeant, neve difficultatibus ab opere hoc aggrediendo sese deterreri sinant. Deus enim, ut eadem animadvertendum de more proponit, eorum conatus ita adiuvaabit, ut operi fastigium ponere se posse sperare valeant. „Neque immerito“, ait Benedictus XIV. „ipsa rerum experientia edocti sumus, magna alacritate suscipienda esse, quae ad Dei cultum pertineant ipsiusque arcanæ providentiae fidendum. . . . Nam coeptum opus (seminarii sc. ab eo exstructi) devenisse in eum locum vidimus, quem minime sperabamus: et novi semper aditus patefacti sunt, ut gravissimas expensas sustineremus, quae vires nostras ac tenuitatem nostri seminarii longe superabant.“

Quod autem sibi accidisse narrat magnus ille Pontifex, *nos quoque experti sumus*. Nam Deo adiuvante gravissimas difficultates, quae undique opponebantur, iam superavimus; insuper expensas quoque licet magnas nihilominus ope populi et vestra superare potuimus, cum etiam nobis Deus de proventibus maioribus inopinate providerit, ita ut permagnam partem sumptuum ipsi in nos suscipere haud formidaverimus.

¹⁾ Vide Škofijski List: a. 1898, pg. 102; pg. 146 sqq; 1899, pg. 91 sqq; 191, pg. 77 sqq.

²⁾ Ibid. a. 1899, pg. 68. 72; 1900, pg. 69; 1901, pg. 56; 1902, pg. 41.

³⁾ Ibid. a. 1901, pg. 77 sqq.

⁴⁾ Lucidi l. c. t. I., pg. 127 sqq.

194. Cum *ea sit ecclesiasticae disciplinae consuetudo*, ut, ubi aliqua multorum capitum communio coalescat, *ibi peculiarium constitutionum corpus redigatur*, ac perpetuo servandum demandetur, ideo seminarium quoque nostrum suas habeat constitutiones. Id enim diserte praescripserunt Patres Tridentini: ¹⁾ „Quae omnia atque alia ad rem opportuna et necessaria episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus S. suggererit, constituent, eaque, ut semper observentur, saepius visitando dent operam.“

Obedientes decreto Tridentino constitutiones, adhibitis in consilium duobus canonicis, proximo tempore exarabimus. Insuper etiam curam virorum habuimus, qui instituto vel qua professores, vel qua educatores praeficerentur. Haud dubitamus, quod in deligendis et formandis istis viris divina providentia speciali modo auxilio nobis fuerit.

195. Interim vero nobis non licet interrompere curam de inveniendis mediis *necessariis tum ad aedificationem, tum ad sustentationem instituti. Est vero institutum opus omnium nostrum totiusque populi*. Prae oculis autem habemus non solummodo *educationem cleri* atque praeservationem eorum iuvenum a malo, qui qua *laici varia munera obibunt*, sed illa etiam *tempora, quibus ob paupertatem quotidie ingravescentem vix unus aut alter filium suum*, quem scit talentis ditatum et forsitan ad sacerdotium a Deo vocatum, *ad studia mittere* et per decursum tot annorum sustentare *potens erit*. Praecavere igitur opus est imminentem stabilem penuriam cleri, nec non penuriam iuvenum, qui apti essent altius ascendere ac tunc varia officia laicalia et populo necessaria obire.

Quapropter instanter *inculcamus*:

a) *Ut collectiones voluntariae singulis quatuor temporibus in ecclesia vel alio meliori modo continuentur usque ad annum 1914*, simulque populus ad conferendum incitetur; nam quo magis fundus seminario sustentando desti-

¹⁾ Cf. Lucidi, l. c. t. II. cap. VI. §. 2.

natus auctus fuerit, eo maior numerus pauperum secundum mentem concilii Tridentini gratis recipi poterit;

b) sacerdotes via decanatus obolum suum quotannis offerant, peracturi opus ecclesiasticum simul et patrioticum; collectio fiat tempore conferentiarum; insuper quolibet anno elapso ne obliviscantur expedire ad Ordinariatum *stipendia Missarum in festis suppressis*;

c) quicumque pro sustentatione inter vivos vel in casu mortis 200 coronas dono dederit, pro illius anima *quotannis una Missa a sacerdotibus instituti applicabitur*; eiusmodi dona *valde* desiderantur, nam fructus obveniet donatori, celebranti et adolescentibus; tales donationes faciendae *laicis quoque multum commendentur*;

d) meminerint sacerdotes institutorum in suis testamentis, prouti quidam valde laudabiliter iam fecerunt, nisi iam inter vivos subsidium dare maluerint;

e) conscientiose observentur et omnia alia mandata, quae intuitu seminarii fors edita fuerint aut edentur.

Sciant omnes sacerdotes et benefactores, *iam nunc quolibet mense semel sacrificium Missae pro omnibus offerri*.

§. 2.

De Seminario maiore.

196. Absoluto curriculo studiorum gymnasialium ii, qui se a Deo vocatos esse existimaverint, ad seminarium majus recipientur, ut tum ad pietatem, tum ad scientiam sacerdoti necessariam efformentur.

Finis obtinendus in ordine studiorum et in statutis seminarii sufficienter quidem exprimitur; sed nihilominus hic quoque *de mediis ad finem aptis* aliqua speciatim efferramus:

1. Educatio ascetica.

197. Prae omnibus *educatio ascetica clericorum*, quae directori spirituali commissa est, *promoveatur*. Ideo persuadeantur de necessitate piaae et ferventis orationis, quotidianae meditationis, piaae lectionis, cultus Ss. Sacramenti

atque adorationis, cultus Ss. Cordis Jesu, cultus B. Virginis Mariae, praecipue de necessitate Sacramentorum Poenitentiae et Communions. Utinam qualibet dominica et singulis diebus festivis per annum Sacramento Poenitentiae suam conscientiam mundarent atque Sacramento SS. Eucharistiae animam reficerent!

Curent clerici, ut *tempore studiorum privatim librum quoque legant et relegant, qui systematice tractat ascetin*,¹⁾ prouti director spiritualis illis commendaverit. Nam absque sufficiente et systematica institutione ascetica neque semetipsos, neque poenitentes ad maiorem perfectionem christianam promovere valebunt. *Clerici tertii et quarti anni prae manibus etiam librum habeant, qui de vita et honestate clericorum specialiter tractat.*

2. Institutio theologica.

198. Clerici coram Deo obligantur, ut assidue atque ex corde, non solummodo coacti et frigide omnibus studiis theologicis tum facilioribus, tum difficilioribus vacent. *Quovis anno alumni omnes bis serio examinabuntur circa omnes materias in scholis traditas.*

Valde gaudemus, quod noster Praecessor obsecundans votis Leonis XIII.²⁾ *cathedram philosophiae thomisticae erexerit*, cui studio operam dent clerici, quo ad propugnanda fidei dogmata evadant aptiores.

Nos vero praelectiones de *quaestione sociali*, qua totus nunc orbis movetur et cui solvendae Ecclesia eiusque clerus succurrere debet, adiecimus optantes, ut clerici saltem principiis fundamentalibus perdifficilis huius quaestionis perceptis ad opus, quod in cura animarum illos manet, melius informarentur.

Insuper studium quoque *catechismi maioris* praecipimus, ut clerici singulas eius partes et quaestiones, nec

¹⁾ Škofijski List a. 1903, pg. 9. sqq; commendantur: a) Scaramelli, geistlicher Führer, t. 2, — b) Bürger, Die christliche Vollkommenheit.

²⁾ In encyclica de restauranda philosophia thomistica; cfr. in appendice titulum IV. cap. II.

non intimum earum nexum dignoscant et ita parati munus catechistae statim ab initio maiori cum intelligentia, dexterritate et fructu aggredi valeant.

Valde laudamus initia *seminarii scientifici* cum elucubrationibus et disputationibus. Summopere desideramus, ut seminaria scientifica quoad omnes materias principaliores instituantur. Speramus enim fore, ut clerici ad maiora, uberiora et profundiora studia multum excitentur.

3. *Ordinum susceptio.*

199. Admissioni ad primam tonsuram et susceptioni ordinum semper *sacra exercitia* praemitti debent. Pro bent clerici semetipsos, num ad munus sacerdotale vocati sint, neque ad ordines accedant, nisi digni.

Quamvis¹⁾ omnia peccata ordinandum reddant indignum, id tamen maxime valet de vitio luxuriae, quo circa leges ecclesiasticae explicite exigunt, ut *ordinandi sint probatae castitatis*, qui sperant Deo auctore se continere posse. A gravi peccato non est immunis, qui pravo habitu peccandi laborans sacrum ordinem suscipit. Nam ad sacros ordines tuta conscientia accedere nequit, nisi fundatam spem habeat, se caste victurum esse, prouti in ordinatione Deo promissurus est; sed qui pravo habitu irretitus est, hanc spem habere nequit.

Eodem modo perpendant, num *sobrie* vivere possint. Nam sacerdos vino deditus orationem et meditationem negliget, tepidus evadet, in peccata ruet, sacrilegia committet, populo scandalo erit, curam animarum pessumdabit.

Cap. II.

De pietate sacerdotis et mediis, quibus pietas fovetur.

200. Sacerdos vere pius, Deo devotus esse debet, tum propter sublimem suam vocationem, tum propter exemplum

¹⁾ Cfr. Noldin. l. c. n. 741.

fidelibus praebendum. Ut autem in pietate et vera sanctitate proficiat, *media* illuc conducentia sedulo et assidue adhibeat.

a) Praeprimis curent sacerdotes, ut *Missae sacrificium digne et devote celebrent*. Applicent sibi conditiones, quae a fidelibus pro frequenti vel quotidiana Communionem requiruntur. Immunes sint non tantum ab omni peccato gravi, sed etiam levi et a qualibet voluntaria inordinata inclinatione et affectione, v. g. ad superbiam, levitatem, distractionem, sensualitatem, altercationes, ignaviam, commoditatem, aversiones a proximo et similia; nam secus fructus S. Communionis non percipient.

Omnes *in Domino obsecramus*, ut oblaturi sacrum Missae sacrificium saltem *per quadrantem horae se praeparant*, et etiam *post recessum ab altari tantum temporis dent gratiarum actioni*.

b) Memores consilii, a s. Josepho a Cupertino cuidam episcopo dati, videlicet reformationi cleri optime inservire attentam *Breviarii recitationem* et piam Missae celebrationem, omnes sacerdotes hortamur, ut in divinis laudibus quotidie persolvendis angelicis choris digne consociantur. *Recitent ergo Officium cum animi alacritate, attentione et devotione*; iuste enim dicit s. Alphonsus: ¹⁾

„Centum orationes, quas solus quis peragit, nullatenus tantum pretium habere possunt, quam unica oratio Officii divini includit, quia haec Domino totius Ecclesiae nomine et verbis Dei Ipsius offertur. Firmiter nobis persuasum habeamus, post S. Missae sacrificium nullum pretiosorem in Ecclesia thesaurum reperiri Officio divino, ex quo quippe quotidie flumina gratiarum haurire possumus.“

Ideo sacerdotes omnes *rogamus, ut pro Officio recitando tempus aptum determinent, non autem tempus, quo ad nullum opus sint idonei*; dein, ut illud pro posse recitent in ecclesia coram Sanctissimo et denique, ut *expositionem psalmorum, saltem eorum, qui saepius occurrunt, perlegant et ita sensum psalmorum eorumque applicationem*

¹⁾ De neglig. in oratione Breviarii.

melius intelligant atque orationem tum dulciorem, tum magis fructuosam reddant.

c) Praeterea, quotidie non solum precibus matutinis et vespertinis se confortent, sed etiam *partem Rosarii B. V. M.* cum brevi saltem contemplatione singulorum mysteriorum recitent. Insuper spiritu orationis pleni in praesentia Dei iugiter ambulent, saepe saepius in die ad pedes Jesu Christi crucifixi vel throni Eius sacramentalis sese transferant praesque iaculatorias frequenti in usu habeant.

d) Orationi oretenus factae iungenda est *meditatio*, de cuius necessitate S. Alphonsus¹⁾ scribit: „Licet, ex se loquendo, sine meditatione possit quis in acquisita gratia perdurare; attamen *cum non meditatur, est moraliter impossibile, nempe difficillimum, ne in gravia peccata labatur*; et ratio est, quia ille, qui meditationi non vacat, parum indigentias suas percipiet . . . , parum orandi necessitatem, in qua reperitur, cognoscet, et ab orando desistet et non orando utique peribit.“

Et revera, nonne ideo tot sacerdotes omnino mundani et pleni defectibus inveniuntur, quia meditationi nunquam operam dant?

Quapropter sacerdotes omnes et singulos *instantissime monemus*, ut quotidie mane saltem per viginti minuta sacrae vacent meditationi; suadetur, ut vespere ante cubitum ope boni libri puncta meditationis sibi praeparent eaque memoriae infigant. Quodsi mane fuerint impediti, id alio per diem tempore facient, vel meditationi piam lectionem substituent, vel saltem frequentibus per diem piis iaculatoriis animum ad Deum levabunt.

e) Valde necessaria est saltem *brevis lectio spiritualis*, cui in ordine diurno tempus fixum determinetur. Abstineant vero sacerdotes a lectione frivola et inutili; immo in *legendis diariis publicis sint sobrii*, in quantum scilicet ministeria nostra notitiam rei politicae requirunt: tunc tempus pro sacra lectione saltem ordinarie non deficiet.

¹⁾ Homo apost. app., 4. s. 3.

f) Sint omnes *devoti erga Ss. Sacramentum*; quotidie post meridiem Christum Regem in Ss. Eucharistia absconditum visitent; semel vero in hebdomade per totam horam incumbant et ad lucrandas indulgentias societati adoratorum dent nomen. Compareant sibi folium „Eucharistia“, ut ad hanc pernecessariam et perutilem devotionem in dies magis accendantur.

Sint etiam *devoti erga Ss. Cor Jesu*, ut tum pro sua perfectione, tum pro directione fidelium auxilia necessaria et efficacia ex Illo hauriant; sint *omnes apostoli huius devotionis*. Omnes ergo hoc Ss. Cor in Eucharistia latens adorent, diligant, imitentur; omnes quotidie huic Cordi se devoveant, dentque nomen Apostolatui Orationis et confraternitati Ss. Cordis.

Ne obliviscantur *devotionis erga Beatissimam Virginem Mariam, Reginam sacerdotum*, quam filiali corde ament, laudent, invocent et imprimis perfectam suam castitatem quotidie ferventi prece commendent.

g) Ardenter *desideramus*, ut quilibet sacerdos *singulis octo, vel saltem quindecim diebus confiteatur*; praecipimus vero, ut nullus dioecesis nostrae sacerdos confessionem suam *ultra quatuor hebdomades differat*. Quilibet sacerdotem virtutibus et experientia insignem ut confessarium suum ordinarium habeat; confessarii vero praecipue occasiones peccatorum proximas dignoscere et forti animo removeve insistant!

h) *Praecipimus*, ut omnes et singuli sacerdotes *saltem tertio quovis anno sive communiter cum aliis sacerdotibus, sive separatim in aliqua domo regulari per aliquot dies spiritualibus exercitiis vacent*. Decanis iniungimus, ut adimplerem huius praecepti urgeant et desuper vigilant. Qui vero per integrum triennium s. exercitiis incumbere omisit, causam omissionis Ordinario pandat, qui secus pro iure suo poenis ecclesiasticis negligentem ad exercitia compelleret.

Desideramus autem, ut singuli sacerdotes quotannis vel saltem biennio exercitia spiritualia peragere procurent.

j) Denique omnes et singulos sacerdotes *monemus*, ut quotidie tempore vespertino coram Christo Domino con-

fiteantur, i. e. diligens examen conscientiae faciant actumque contritionis perfectae eliciant, examini vero generali particulare adiungant, ut sciant, quale sit ipsorum capitale vitium, qualis sit in virtutibus profectus, quaeve tentationes ipsi immineant.

Cap. III.

De virtutibus quam maxime necessariis.

201. Pia exercitia non sunt nisi media ad virtutes acquirendas et perficiendas, quibus sacerdos ornatus sit. Oportet quidem illum omnibus virtutibus esse ornatum; dantur tamen quaedam, quae ipsi prae ceteris sunt necessariae.

§. 1.

*De virtute castitatis.*¹⁾

202. *Castitatis sacerdotalis necessitatem et excellentiam imprimis meditetur sacerdos.* Castitatem enim quotidie sacerdos expostulat, cum praecingens se cingulo preces mittit ad Deum, ut „in ipso maneat virtus continentiae et castitatis“.

Non est alia virtus magis necessaria pro libertate et vigore interno, pro intima cum Christo familiaritate conservanda et fovenda, pro gloria sacerdotii, pro aedificatione populi; hinc uno ore cum Apostolo sacerdotibus eam praescribunt omnes Ecclesiae Patres et Doctores, tantaque severitate urgent innumerabiles pene ipsius Ecclesiae canones et sanctiones.

Sacerdotium enim ex virginum ordine constitui debet, ut ii, qui procedunt ad altare Christi, ad Deum, qui laetificat iuventutem eorum, adolescentiam quoque offerant, nulla sorde maculatam.

Media igitur necessaria sacerdos ad servandam castitatis coronam fervide adhibere debet. Et cum nihil aliud sit, quod per se praeclaram ecclesiasticorum virorum dignitatem

¹⁾ Cfr. Instr. Eystett. Tit. XIII. cp. II. §. 4.

dehonestare, Deique gratiam fideliumque fiduciam penitus eripere, et eorum quoque, qui foris sunt, contemptum excitare magis valeat, quam incontinentiae vitium, ideo *ad castitatem conservandam omnia media a moralistis indigitata adhibeant.*

203. Nos autem propterea *mandamus et praecipimus:*

a) Sacerdotes fugiant *omnem cum sequiore sexu familiaritatem*, quae eorum vel innocentiae officere possit vel famae, nec solum mali labem, sed speciem ipsam avertant, ne qui in obliquiorem suspicionem prono sunt animo, inhonestum quidpiam de illis suspicari possint, aut ominari;

extraneas mulieres urbanitatis aut officii specie aut quolibet alio praetextu non frequenter invisant, cum iisdem neque concinant, nec instrumentum musicum animi levandi gratia pulsant;

feminas quascunque, magistris non exceptis, ad mensam habere, per vias deducere, aut sese comites illis et assecclas in deambulationibus et itineribus adiungere, sacerdotes omnes directe vetantur.

b) Sacri canones clericis omnibus cum iis tantum mulieribus simul habitare permittunt, quae arcto consanguinitatis et affinitatis gradu iunctae sunt, in quibus jura sanguinis et foedera nihil turpe suspicari sinunt.¹⁾ Cum autem consuetudo invaluerit et necessitas postulet, ut famula etiam extranea pro obeundis ministeriis domi habeatur, ideo *permittimus, ut cum mulieres consanguineas et affines secum habere non poterunt, unam vel plures, prouti res domesticae id exigunt, famulas in domum recipiant;*

attamen districte et serio mandamus, ne feminas juniores, procaces, comptulas, malae famae, in vitio carnis iam olim lapsas vel quomodocunque suspectas ad curandam rem domesticam, vel sub alio praetextu in domum recipiant;

nullo vero modo vel in domo vel extra illam cum ipsis ludant, jocos misceant, ad dormitoria liberum accessum concedant, aut familiarius cum ipsis agant;

¹⁾ Bened. XIV. Const. 82. 83. Pius IX. „Qui pluribus.“

famulas ne mensae suae adhibeant, aut diutius vel saepius solis loquantur, vel ipsarum cubiculis immorentur; *iter vero cum iisdem, etsi sororibus, praecipue in eodem curru, nunquam faciant*, neque cum illis parochias vicinas invisant, aut in nundinis mercatorum tabernas lustrent;

sacerdos nunquam potestati famulae se subiiciat commodando ab ea supellectile, aut mercedem statuto tempore non solvens; non tolerandum, ut ipsa rebus non suis se immisceat, vel ut in domo se gerat tamquam dominatricem imperiose omnibus ceteris imperantem.

c) Quoniam *de re agitur, quae Ecclesiae honorem et animarum salutem, quam proxime respicit*, ideo desuper oneramus conscientiam *decanorum et archidiaconorum, ut de omnibus rebus, his sanctionibus contrariis*, quamprimum eas in clericis ipsis subiectis perceperint, illico *Nos certiores reddant*, ut omni auctoritate in eos animadvertamus, qui Ecclesiae praeceptis contraire praesumpserint.

Denique omnes attentos reddimus, episcopo potestatem competere, in casibus particularibus et certis rerum adiunctis sacerdotis convictum cum determinata quadam persona prohibendi, vel praeciendi, ut dimittatur.

§. 2.

De sobrietate.

204. Cum Apostolus omnes Christifideles exhortetur: „Sobrii estote et vigilate“ ¹⁾ *praeprimis sacerdotes huic sobrietatis virtuti incumbere debent*. Haec enim virtus facit temperantem, abstinentem, parcum, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum; haec virtus, si in animo habitat, libidines fraenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat. Quare sobrietas munus sacerdotale maxime iuvat et mentem clericorum iuxta S. Scripturam ad sapi-

¹⁾ I. Petr. 5. 8.

entiam transfert ¹⁾, vigorem auget et laboris amorem; „sanitas enim est animae et corporis sobrius potus“. ²⁾

Econtra ebrietas vitia gignit, ad vilia inclinat, ad impudica irritat. Juxta S. Gregorium admonendi sunt gulae dediti, ne in eo, quod escarum delectationi incumbant, luxuriae se mucrone transfigant; et quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis levitas insidietur; aspiciant, ne dum ventri molliter inserviunt, vitiorum laqueis crudeliter adstringantur.

Infamis igitur est haec ebrietas et sacris litteris damnata; quae si in sacerdote invenitur, pessima est pestis et plebis ruina. Hinc sacris canonibus decretum est, tales ab officio et beneficio esse suspendendos.

205. Quam ob rem *mandamus et praecipimus*:

a) *Abstineant sacerdotes a conviviis et commensationibus sumptuosis in propriis domibus parandis*, v. g. quando indulgentiae, congregationes decanales, vel aliae solemnitates celebrantur; *frugali mensa contenti brevi discedant*; dedecet enim viros de clero totum fors tempus pomeridianum, immo fors etiam multam in noctem mensae assidere potuique indulgere. *Gaudemus hanc regulam omnino vel fere omnino iam observari*;

b) ³⁾ *sacerdotes cauponas in loco parochiae sitas non ingrediuntur nisi ad administranda Sacramenta alicui infirmo vel ad negotium aliquod expediendum*. Huiusmodi negotia sunt v. g. quando publicae quaedam associationes catholicae ad congressum coadunantur, vel ubi causae ad salutem publicam spectantes in coetu sunt pertractandae.

Insuper concedimus adire diversorium: 1. quoties amicus vel notus invisit sacerdotem, qui domi refectionem visitanti praebere non potest; 2. quoties peregrinus aliquis in caupona civilitatis aut amicitiae causa invisendus est; 3. etiam cauponis honesti et recti tenacis una aut altera vice per annum invisendi causa.

¹⁾ Eccli. 2. 3.

²⁾ Eccli. 31. 37. Cfr. Instr. Eystett. tit. XIII. cp. II. §. 3.

³⁾ Cfr. Synodum Brixinensem pg. 112. sqq.

Diversoria decentia et non diffamata in maioribus urbibus possunt sacerdotes obiter visitare occasione itineris, necessitate ergo compulsi, nec non, quando in eis coetus honesti vel congressus associationum catholicarum habentur.

c) Summopere laudamus illos sacerdotes, qui altiorem gradum temperantiae ascendere conantur, ita, ut a potu alcoholico, etiam vino, omnino abstineant.¹⁾

§. 3.

De delectationibus saecularibus clero prohibitis.²⁾

206. Licitum est clericis honeste se recreare, ut animus tot negotiis et laboribus distentus erigatur et reficiatur. Prohibentur tamen iis delectationes, quae statui et dignitati clericali non conveniunt.

Quapropter clericis *interdicimus*:

a) Ne assistant publicis spectaculis aut ludis scenicis, in quibus amatoria vel lubrica aguntur vel cantantur, „ne scilicet auditus et obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.“³⁾

b) ne participes fiant venationis clamorosae; quietam toleramus quidem, sed generatim non commendamus, quia neglectui officiorum et scandalo, saepe etiam querelis fidelium praebet occasionem;

c) ne ludis illicitis sive chartarum pictarum, sive aliarum dent operam; illiciti sunt vero tunc, si non recreationis, sed mere lucri causa exercentur, vel cum magna temporis iactura, dispendio proprii muneris vel aliorum scandalo iuncti sunt. Nos ardentem desideramus, ut, quando plures de clero conveniunt, non ludis chartarum, sed utilibus colloquiis de rebus Ecclesiae, societatis et curae pastoralis occupentur;

d) caveant quoque sacerdotes, ne sint nimis prompti ad frequentanda convivia nuptialia vel alia festa laicorum,

¹⁾ Škof. List 1903, pg. 8. sqq.

²⁾ Synod. Premisliensis Cap. IX., X., pg. 215 sqq.

³⁾ C. 19., D. 34.

nam „si quis saepe invitatus ire non recusat, facile contemnitur“. Quando convivii honestis et decentibus intersunt, gravitatem sacerdotalem urbanitate et comitate temperatam praeseferant, quae tamen cum crebris poculis, ineptis iocis vel publicis cantionibus nil commune habet. Nil obstat, quominus concentus publicos, praesertim piis causis destinatos, audiant;

e) caveant praeterea, ne recreationis causa adeant familias irreligiosas, lascivas aut suspectas; neve in familiis honestis laicorum persaepe per integras horas, imo usque ad intempestam noctem morentur.

§. 4.

De negotiis saecularibus clero prohibitis.

207. Secundum Apostolum Paulum¹⁾ nemo militans Deo negotiis saecularibus se implicet. Quare multa providentia *interdictum est, ne clerici mercaturam et quamlibet cuiuscumque generis negotiationem exercent sive proprio, sive alieno nomine, sive in persona, sive per alios.*

Intelliguntur negotiationes lucrativae, quae tunc locum habent, si res ea intentione emuntur, ut postea non immutatae carius vendantur; vel si clerici ea intentione emunt „obligationes“ vel „actiones“, ut postea pro more aliorum mercatorum in foro argentario illas carius vendant, vel similes speculationes pecuniarias intendant; huc pertinet etiam coemptio villarum vel praediorum lucri causa, nisi speciales ethicae rationes, de quibus Ordinarius iudicet, id permittere videantur.

Non est tamen clericis prohibita negotiatio oeconomica, si nempe res emuntur ea intentione, ut inserviant propriae necessitati, licet postea utpote superfluae vel ob alium honestum finem, etiam pretio maiore, denuo vendantur. Item, si res propriae v. g. pecudes per famulitium meliorantur et dein cum lucro venduntur.

¹⁾ II. Tim. 2. 4. Synod. dioec. Lavant. a. 1900, pg. 467.

Nec est prohibitum clericis, quominus etiam honestis societatibus commercialibus vel industrialibus iam constitutis, in quarum administratione ipsi partes non habent, pecuniam mutuo dent, sive „obligationes“ earum sibi comparent atque retineant, ut singulis annis determinatum foenus percipiant.

Ubi vero agitur de societate aliqua constituenda, clericis non licet unice propter lucrum participare, quia maior potest oriri suspicio „turpis lucri“ cupiditatis, quam si quis actiones acquirit in societate iam constituta.

208. Tribunalia profana clerici litis causa temere ne adeant. Si inter clericos controversiae ortae sunt, a confratribus tamquam arbitris, praeprimis a decano vel ab Ordinario dirimantur; si vero clericus alium clericum vel regularem ad tribunal laicale vocare ausus fuerit, poenas luet, a ss. Canonibus constitutas.

Si clerici cum laico homine et de rebus temporalibus litem habeant, causa pacifice componatur, adscitis quoque arbitris; quodsi hoc frustra tentatum fuerit, ne tamen quempiam in jus vocent, nisi ex causa gravi, consulto prius decano. Si vero ipsi a laico in jus vocati fuerint, statim referant ad Ordinariatum, cui simul causam sincere describant.

§. 5.

De habitu clericali.

209. *Vitanda est quaevis levitas in externo habitu, nam „incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis“.*¹⁾ In ipso ingressu in statum clericalem clericos suos Ecclesia modestiam docet, dum crines capitis illis detondet habitumque clericalem imponit in signum, quod ab omnibus saeculi desideriis et ab omni saeculari habitus servitute emundatos eos esse oportet.²⁾

De habitu concilium Tridentinum³⁾ praescribit: „Vestitus clericorum distinctus sit oportet a vestimentis laicorum et ordini uniuscuiusque congruens.“ Insuper pontifices

¹⁾ S. Augustinus.

²⁾ Pontif. rom. I. de clerico faciendo.

³⁾ Sess. XIV. cap. 6. de reform.

aeque ac concilia post Tridentinum celebrata adigebant ad gerendam vestem talem nigri coloris, quae quidem unice clericorum propria eorumque ordini maxime conveniens est. Quae vero legibus universalibus non sunt definita, legibus particularibus determinantur.

210. Quoad *habitum statuimus*:

a) *Praecipimus, ut sacerdotes in celebrando s. Missae sacrificio nec non in sacris functionibus obeundis semper talari veste utantur* et clericos extraneos ad eiusmodi functiones, praesertim vero ad s. Missae sacrificium celebrandum, regulariter non admittant, nisi hac veste, sive propria, sive ab ecclesiae rectore commodata, sint induti;

b) sacerdotibus, qui *in pagis dissitis vel montanis celebrare debent, concedimus, ut loco talaris cinctorio nigro ad talos usque demisso utantur*, quod in sacristia asservandum est; donec talia cinctoria apud ecclesias filiales non sint praesto, toleratur usus vestis brevioris;

c) *etiam in administrando viatico aegrotis, qui in remotioribus pagis decumbunt, usus vestis brevioris toleratur*;

d) *optamus, ut sacerdotes vestem talem induant, quoties officio aliquo publico funguntur, praecipue quoties in scholis, parochiali ecclesiae adiacentibus, religionis doctrinam tradunt*;

e) *veste breviori, nigra tamen, vel saltem subobscura, quae infra genua, vel saltem usque ad genua defluat, uti permittimus* extra ecclesiasticas functiones, imprimis quando sacerdos iter facit, vel agros perambulat; vestis haec tamen sit omnino honesta et orbiculis connexa, numquam vero aperta;

f) *pilei et femoralia quoque sint nigri coloris*;

g) circa collum omnes gestent *collare* et in capite habeant *tonsuram*, saepius renovandam tamquam militiae Christi insigne decus; indigni sunt sacerdotio, qui venerandum hoc illius signum erubescerent;

h) prohibentur clerici *ficta caesarie* uti, quod ut licitum sit intra Missam, indultum Sedis Apostolicae, ut fieri possit extra Missam, licentia Episcopi requiritur.

211. Continuo meminerint clerici, quod in *tota sua conversatione et habitu externo laicis praecellere* debeant et honestior ab ipsis exigitur vitae ratio, quam a laicis, secundum principium, quod Leo M.¹⁾ pronuntiavit: „Omnium sacerdotum tam excellens est electio, ut, quae in aliis ecclesiae membris vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita.“ Unde cum concilio Tridentino²⁾ clericis inculcamus, „ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnino rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta . . . effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.“

§. 6.

*De studio litterarum.*³⁾

212. Praeter vitia vitanda est ignavia, quae non solum clericos inutiles reddit, sed etiam Ecclesiae grande dedecus, animabus deplorabile detrimentum affert. Neque potest sacerdos sine animae suae periculo ordinem suum exercere, quin perpetuo addiscat et magis magisque sacris litteris investigandis inhaereat. Scriptum est enim: „Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.“⁴⁾

Hodie tanto magis splendore virtutis et scientiae fulgere debent sacerdotes, quod adversarii Ecclesiae scientiam profanam religioni opponant, et clerum non solum ignorantiae, sed etiam odii luminis, culturae et animi progressus accusent; quapropter propriis armis sunt repugnandi et refutandi.

213. Quam ob rem sacerdotibus *iniungimus*:

a) Ut omnem adhibeant diligentiam *privatis studiis* supplendi scientiae defectum et augendi thesauros iam acquisitos; quod si fecerint, certo multa, quae vita otiosa parat pericula, a se removebunt;

¹⁾ c. 1. D. 32.

²⁾ Sess. XVII. c. 1.

³⁾ Instr. Eystett. tit. XIII. cp. VI.; Synod. Premisl. a. 1902, pg. 212 sqq.; Gesta et Statuta Synod. Lavant, a. 1896, pg. 344 sqq.

⁴⁾ Os. 4. 6.

b) quidquid ab ecclesiasticis officiis superest temporis, id *imprimis studio theologiae* impendant; prae omnibus Sacras Scripturas tamquam divina eloquia quotidie reverenter et devote legant; huic lectioni incumbant etiam in lingua vernacula, ut textus familiares sibi reddant in concione proferendos; libros quoque de theologia dogmatica et morali tractantes frequenter revolvant, nec doctrinae asceticae et rudimentorum saltem theologiae mysticae sint ignari, ut monialibus et poenitentibus piis sublimiorem perfectionis gradum ascendere cupientibus securum praestare valeant ductum. Liturgicae et caeremoniarum studium ne vilipendant, ut in sacris functionibus peragendis uniformitas et dignitas servetur;

c) verum etiam *profanis disciplinis sacerdotes pro viribus erudiantur*, ut statui suo venerationem etiam apud laicos non credentes concilient, et adversarios recentiores, qui potissimum ex armamentario historiae, philosophiae, physicae tela depromunt, eo facilius refundant;

d) cum vero socialismus hodie iam ubique terrarum grassetur et religionem audacter impugnet, super fundamenta scientiae socialis, posita in seminario, sacerdotes ulterius aedificium huius scientiae superstruant et perficiant; quapropter *valde commendamus et vehementer desideramus, ut quilibet sacerdos saltem compendium hujus scientiae pro bibliotheca sua sibi comparet illudque saepius legat*; ut articulos rem pertractantes colligat et asservet; ut variae partes quaestionis socialis in conferentiis sacerdotum pertractentur, ratione habita indigentiarum nostrarum discutiantur et ut qua fructus practicae conclusiones exinde deducantur;

e) immo illi, qui feliciori ingenio pollent, in *arte scribendi* sese exercere et tum libros argumento et stylo praestantes conscribere, tum foliis catholicis tractatus solidos inserere quasi tenentur; quapropter *summopere gaudemus, in nostra dioecesi multos sacerdotes Deo dante inveniri, qui bonis foliis catholicis redigendis et scribendis perlaudabilem operam dant*;

f) omnes sacerdotes diaria et folia catholicis dogmatibus et praeceptis obsequentia domi habeant, *a legendis vero, vel quocumque modo iuvandis ephemeridibus et foliis, Ecclesiae, religioni et castis moribus inimicis, omnino sint alieni*, ne contra leges ecclesiasticas, graviter obligantes, impingant;

g) porro, cum assidua lectio quamdam librorum supellectilem supponat, hinc de *bibliotheca* sibi comparanda sacerdotes solliciti esse debent, quatenus facultates ipsis suppetunt; ast diligenti cum studio auctoribus nonnisi gravibus eam locupletent; valde *commendamus bibliothecas decanales*, unde libros depromere possent sacerdotes, qui in decanatu constituti sunt ut referentes pro variis quaestionibus solvendis; hinc inde initium talis bibliothecae iam factum est.

§. 7.

De obedientia canonica.

214. Sacerdotes *peculiari animo amare et servare debent obedientiam*, quam in ordinatione sacra solemniter Ordinario eiusque successoribus promiserunt; ipsa enim est ordinis tum ecclesiastici, tum socialis firmissima basis omniumque virtutum vigil ianitrix.

Obedientia canonica resultat ex Ecclesiae catholicae constitutione, qua potestas sacra variis gradibus varie distributa est, ita ut alii aliis subditi sint, ac propterea minores maioribus obedire teneantur. *Regula vero generalis huius obedientiae est: cuilibet obtemperandum pro modo suae superioritatis et intra terminos suae potestatis praecipientis.*¹⁾

215. In hac obedientia omnes nostri clerici *adlaborabunt*,²⁾

a) ut *omnia Episcopi mandata fideliter exsequantur*;

b) ut propter conscientiam tam in vita privata, quam in gerendis muniis suis dioecesanam disciplinam et *praesertim statuta et instructiones huius Synodi dioecesanae* sincere et ex integro observent;

¹⁾ Syn. Brixinensis a. 1900, pg. 114.

²⁾ Instr. Eystett. tit. XIII. cp. V.

c) ut ab *omni censura actorum a superioribus et decretorum abstineant*, utpote magno periculo iudicii falsi et iniusti expositi;

d) ut in cunctis dubiis vel rebus, quibus oneratos se esse sentiunt, filiali cum fiducia et submissione episcopo suo se committant;

e) ne umquam per se vel per alios instent, ut *contra superiorum sententiam* et decisionem locum aliquem seu beneficium obtineant, aut voluntati propriae ambitu, clandestinis consiliis, magnatum sollicitationibus, collectis petitionibus, aut aliis id genus modis, sacris canonibus haud congruis, effectum concilient; minime vero prohibemus, quominus difficultates et obiectiones, pro circumstantiarum ratione existentes, superioribus iuxta conscientiae dictamen exponantur; sed ubi causae expositae sufficientes inventae non fuerint, propter quas a decisis recedatur, tunc sane locus erit s. Scripturae: „vir obediens loquetur victorias“.¹⁾

Non possumus abstinere, quin hic loci repetamus verba, quae in nostra *intronizatione* hoc respectu ad venerabilem clerum protulimus:²⁾

„Recordemini episcopum, qui pacem habet cum Sede Apostolica, in sua dioecesi centrum esse unitatis, pro qua Dominus Jesus in ultima coena tam enixe et instanter Patrem Suum rogabat. Episcopus vero centrum unitatis esse non potest, nisi illi praestetur canonica obedientia, quam nos omnes in ordinatione tam solemniter episcopo ordinanti eiusque successoribus promisimus.“

„Obedientia non est facilis, resistit enim nostra propria voluntas, noster proprius amor, qui non considerat, nisi semetipsum et qui pronus est invenire, videre et affirmare iniuriam immo et iniustitiam ibi, ubi neque iniuria neque iniustitia illata fuit.“

„Sentiens nostram infirmitatem conabor canonicam obedientiam, sine qua unitas sacerdotalis stare nequit, faciliorem reddere. Quam ob rem coram Deo vobis, fratres et

¹⁾ Proverb. 21, 28.

²⁾ Škof. List a. 1898, pg. 82, 83.

filii dilectissimi, promitto, me regere velle rebus mature perpensis, informatione capta a meo rev. capitulo, vel a decanis, vel ab aliis viris idoneis, precibus fuis coram Jesu Christo praesenti in SS. Altaris Sacramento, quem unice diligo, cui per Matrem Mariam quotidie me totum offero, cuius regno firmando et dilatando unice intendo.“

„Scio, me omnibus satisfacere non posse, et si quis fratrum putaverit, sibi iniuriam illatam esse, rogo, ne murmure, ne ad iniuriosa iudicia prorumpat, ne episcopum damnet, sed coram Domino, Iudice nostro, sacrificium proprii desiderii, propriae voluntatis, immo et proprii iudicii offerat, ne Deum offendant, sed meritum et gratiam ab Illo promereatur.“

„Si vero persuasus est, iniuriam sibi esse illatam, nihilominus episcopum suum verbis mordacibus, peccaminosis, aures populi offendentibus non prosequatur, scribat mihi, vel melius adhuc veniat ad me, qui illum ut fratrem excipere, patienter audire et omnia coram Domino componere paratus sum.“

„Ita unitas sacerdotalis non rumpetur, caritas non extinguetur. Ne dicatur de nobis, sicut de Corinthiis Apostolus gentium dicere potuit: „significatum est mihi de vobis, fratres mei, quia contentiones sint inter vos.“ 1) Sed dicatur, prout s. Lucas de primis christianis laudabiliter pronuntiare potuit: „multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una“. 2) Si nos omnes cor unum et anima una fuerimus, multum prodesse poterimus et Ecclesiae et populo, neque inimici nominis Christi praevalerunt adversum nos.“

Cap. IV.

De quibusdam principalioribus officiis sacerdotum.

216. Sacerdotes media ad pietatem adhibeant virtutesque indesinenter excolant, ut ad omnia officia implenda quo

1) I. Cor, 1, 12.

2) Act. ap. 4, 32.

aptiores reddantur. Nostrum esse ducimus, quoad *principaliora sacerdotum officia speciatim aliqua statuere et inculcare.*

§. 1.

De sacerdote qua confessario.¹⁾

217. Cum Sacramentum Poenitentiae sit secunda salutis tabula pro iis, qui post baptismum naufragium patiuntur, cumque „magna ex parte confessioni sit tribuendum, quidquid sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est“,²⁾ quanta cura et diligentia opus est in hoc Sacramento administrando et suscipiendo!

Proh dolor, quod in nostra dioecesi maior pars fidelium, imprimis iuvenes et viri, raro quondam hoc Sacramento utebantur; pessima invaluerat consuetudo confitendi peccata semel, vel ad summum bis in anno! Juvenes et viri, de vi, efficacia et necessitate frequentioris usus huius Sacramenti haud edocti, ad illud semel vel bis in anno quidem accedebant, non tam ex vera voluntate, quam potius opinione publica coacti; ideo de necessitate verae contritionis, de necessitate firmi et efficacis propositi vitandi peccata atque removendi proximas peccatorum occasiones saepe omnino non, aut vix quidem cogitabant, immo sacerdotes quaerebant et adhuc quaerunt, qui consuetudines et occasiones minime curantes, de anno in annum absolutonem leviter ac nimis facile impertiri non abhorrent. Quid mirum, si iuvenes et viri vim Sacramenti experti non sint! quid mirum, si absque remorsu conscientiae in proximis occasionibus, in pessimis consuetudinibus totam vitam agant, unde tot damna spiritualia et temporalia, tot miseriae et lacrimae in familiis exortae sunt!

Deo sint grates, quod nostris temporibus usus huius Sacramenti iam frequentior sit, quod illa pessima consuetudo annuae confessionis magis magisque dispareat, *quod sacer-*

¹⁾ Cfr. Instr. Eystett. tit. XI.; Acta et Statuta Syn. Premisl. 1902, pg. 122 sqq.

²⁾ Catech. Rom. p. II. n. 36.

dotes ardentes amore Dei et proximi nullum lapidem non moveant, ut iuvenes quoque et viros ad confessionem frequentius alliciant! O confugiamus ad B. Virginem Mariam, quae est refugium peccatorum, confugiamus per illam ad dulcissimum Cor Jesu, quod amore omnium, imprimis peccatorum, ardet, petamusque gratiam pro universo populo, praecipue pro iuventute, ut cognita virtute Sacramenti Poenitentiae saepissime ad illud percipiendum convolent, atque ope eius in gratia sanctificante vivere, pessimas consuetudines exuere, proximas occasiones abrumpere valeant! 1)

218. Quoad Sacramentum Poenitentiae *mandamus*:

a) Sciant sacerdotes, se coram Deo esse obligatos legere theologiam moralem et pastorem, *praecipue tractatum de Sacramento Poenitentiae, ubi agitur de modo procedendi cum variis poenitentibus*, praecipue cum occasionariis et recidivis, ne in his casibus secundum libitum, sed uti oportet, secundum instructiones Ecclesiae et probatorum auctorum procedere valeant;

b) *timeant et contremiscant sacerdotes, ad quos ex diversis parochiis confluere solent viri et iuvenes, qui tantummodo semel vel bis in anno confitentur, quique fors a longo iam tempore in mala consuetudine v. gr. ebrietatis, luxuriae, vel in proxima occasione, v. gr. in illicitis amoribus vivunt, neque ullam dent operam emendationis, immo sacerdotes faciles ad absolvendum ea intentione quaerunt, ut vitam iam assuetam continuare possint; timeant tales sacerdotes, seque serio coram Deo interrogent, an Sacramentum Poenitentiae ipsorum culpa frustratum non fuerit, cum fors brevi tempore magnum numerum talium poenitentium absolverint!*

c) confessarii *libenter in confessionali appareant*; damnamus consuetudinem illorum, qui in sabbato vel in vigiliis festorum ad confessionale non accedunt, magis adhuc *reprobamus illos, qui neque diebus dominicis ante Missam illuc se conferunt; obsecramus autem omnes et singulos, ut diebus sabbatis et vigiliis festorum tempore postmeridiano*

1) Vide Škof. List a. 1903, pag. 6. sqq.

ad Vesperas, diebus dominicis vero et festivis summo mane ante Missam in confessionalibus appareant, ibique oves suas expectent, quae videntes promptitudinem sui pastoris libenter ad illum ad peccata confitenda venient;

d) curent confessarii, imprimis parochi, ita omnia disponere, ut iuvenes et viros alliciant, v. gr. una pars confessionalis viris et iuvenibus ita destinetur, ut illis advenientibus mulieres statim recedere debeant; determinantur quoque v. gr. festa vel aliae occasiones, quibus ad Sacramenta viri et iuvenes praeprimis invitantur;

e) curent confessarii et parochi praecipue in illis locis, ubi magnus numerus fidelium singulis dominicis vel singulis mensibus confiteri solet, ne reliqua pars fidelium ob numerum talium personarum impediatur, quominus ad Sacramenta accedat; quaerant, quomodo hoc periculum evitari possit;

f) summopere probamus consuetudinem illorum parochorum, qui tempore confessionis paschalis vicinos sacerdotes invitant, ut per duos vel tres dies confessiones parochianorum excipiant ita, ut parochiani occasionem habeant adeundi alienum sacerdotem, cui fors conscientiam facilius aperient; commendamus, ut istis diebus conciones convenientes habeantur et quidem saltem semel quolibet die;

g) confessarii nunquam aegre ferant, si poenitentes, praecipue ii, qui saepe ad Sacramenta veniunt, hinc inde alium confessarium quaerant, cui confiteantur;

h) confessarii saepius probatos auctores consulant, quomodo agendum sit cum pueris et puellis, dein cum iuvenibus et virginibus, ne peccata contra sextum decalogi praeceptum addiscant, vel reticeant, sed pleni confidentia erga confessarium cor omnino aperiant neque initia temptationum reticeant, nam tunc demum a peccato praeservari poterunt;

*i) eodem modo probatos auctores consulant saepius, qui *pias et devotas personas viam perfectionis ducere debent*, ut tum earum inclinationes et passiones rite cognoscere, varias probationes divinas et verum internum animae statum*

perite diiudicare, nec non de frequentia s. Communionis iuste decidere possint, ut istae devotae personae a Deo fors ad maiorem sanctitatem vocatae revera in via perfectionis progrediantur, non autem in suis imperfectionibus ex incuria et inscitia retineantur;

k) casus in nostra dioecesi *reservati* sunt: I. *Incendium deliberate attentatum*; II. *procuratio abortus effectu secuto*; III. *periuratio in foro iudicii*; IV. *incestus cum consanguineis in primo vel secundo gradu*; V. *machinatio seu coniuratio contra suam. Maiestatem.*

Facultatem absolvendi concedimus: 1. *Decanis* omnibus; 2. omnibus confessariis pro *tempore confessionis paschalis* et quidem ultimis tribus hebdomadibus; 3. *confessariis sponsorum* infra octiduum ante nuptias; 4. *confessario parturientis* infra ultimum mensem ante partum; denique 5. *confessariis eorum, qui in carcere detinentur.*

§. 2.

De sacerdote qua concionatore.¹⁾

219. *Officium populo fidem tradendi, praedicandi et exponendi inter officia pastoralia est palmare et fundamentale.* Unde s. Paulus Timotheo inculcat: „Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.“²⁾ Concilium vero Tridentinum stricte et cum comminatione poenarum pastoribus iniungit, ut per se, vel per alios idoneos, si ipsi impediti fuerint, „diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis.“³⁾

Gravissime ergo peccant, qui munus praedicandi vel omnino negligunt, vel oscitanter et luride obeunt, iuxta verbum prophetae: „Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos gregem autem meum non pascebatis.“⁴⁾

¹⁾ Syn. Brix. a. 1900, pg. 9 sqq; Acta et Statuta Syn. Premisl. a. 1902, pg. 81 sqq. Actiones et Constit. Syn. Lavant. a. 1900, pg. 218 sqq.

²⁾ II. Timoth. 4. 1—4.

³⁾ Trid. Sess. V. c. 2. de reform.; Sess. XXIV. c. 4. de reform.

⁴⁾ Ezech. 34. 2—3.

Gravitas huius officii nostra aetate tanta evasit, ut fides populi tot insultibus impugnata, sublato praedicationis fervore, salva consistere non possit.

220. Ut hoc officium singuli et omnes quo uberiori fructu obeant, *monemus et rogamus*:

a) Cum praedicatores pro Deo legatione funguntur, tamquam Deo exhortante per eos, ad rem tantam ea, *qua par est diligentia sese praeparare debent*. Vita concionatoris doctrinae respondeat; etiam propter officium concionandi studium scientiae theologicae assiduo continuetur; denique praeparatio quoque proxima accedat. Hanc praeparationem exigit tam utilitas auditorum, quam honor verbo Dei debitus. Ideo omnes sacerdotes hortamur, ut iam primis hebdomadae diebus de sermone proxima dominica habendo cogitent, omnibusque ex hoc quoque titulo commendamus tum lectionem spiritualem, tum meditationem quotidianam, in qua mens illuminatur et ignis spiritualis exardescit;

b) exponenda praeprimis sunt *dogmata fidei et ex eis deducenda vitae christianae exempla*; conciones *apologeticae et polemicae*, in quibus veritates fidei defenduntur, errores vero refelluntur, nonnisi in iis locis habendae sunt, in quibus multi adversarii harum veritatum inveniuntur et ubi ex eiusmodi collationibus aliquod emolumentum spirituale sperari potest. „Cavendum est autem, ne frequentior, quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum.“ ¹⁾

In concionibus moralibus id praesertim est attendendum, ut ex una parte vitia grassantia impugnentur et abominanda damnentur, ex altera vero virtutes tum theologicae, tum cardinales, tum morales nec non obligationes statuum, opera misericordiae, frequens Sacramentorum usus, bona filiorum educatio, sacrarum precum et devotionum piarum exercitia commendentur. Quotannis quoque praedicetur de Sacramentis Eucharistiae et Poenitentiae, nec non de novissimis hominis.

Conciones *lithurgicae de caeremoniis* Missae, Sacramentorum et Sacramentalium magnopere sunt laudandae;

¹⁾ Litt. encycl. Leonis XIII. ad epp. Italiae 31. Julii 1894.

c) sunt vero multa, de quibus non licet loqui concionatori. 1. Quia nemo ex suggestu causam suam, sed solius Dei et animarum tractare debet, longe absint, quae proprium amorem vel honorem olent. Absint querelae et vituperia propter iniurias concionatori illatas, quae animum superbum et exulceratum magis produnt, quam genuinum zelum Dei. 2. Exulent, quae alios potius offendunt, quam aedificant; imprimis servetur monitio s. Joannis Chrys.: „Inter concionandum personae non nominatim vel quasi nominatim sunt perstringendae: sanare enim oportet, non efferare.“ Absint immoderatae invectivae, ac in ipsis castigandis vitiis concionator zelum Dei, non odium hominum prodat; omnino cautus sit loquens de materia turpi, ne turpes cogitationes iniiciat vel doctor sit peccati. 3. Absint ex cathedra sacra, quaecumque locum sacrum vel verbum Dei minime decent, veluti verba, quae risum movent, fabulae aniles, historiae incertae et suspectae, doctrinae abstrusae vel non prorsus certae, omneque dicendi genus, quod plateis magis, quam ecclesiae convenit. 4. In concione non proferantur, quae ad rem non pertinent, quo spectant res prorsus mundanae ac profanae, et mere politicae. Sed multoties res, quae videntur politicae, religionem attingunt, de quibus non semper tacere licet, ita tamen, ut animo pacato, prudenter et solide earum mentio fiat: v. gr. huc pertinent jura Ecclesiae quoad matrimonium, quoad scholas, quoad liberum usum potestatis ipsi a Christo traditae, quoad officium eligendi viros idoneos et catholicos praesertim ad comitia; haec defendere contra aggressores non solum licet, sed oportet;

d) studeant concionatores, ne doctrinas fidei et morum quasi fortuito et sine consilio, prouti in mentem eis incidunt, seligant, sed ita, ut intra certum terminum v. gr. quovis quadriennio, vel quinquennio omnes veritates tum dogmaticae tum morales, quae generatim, vel pro aliquo loco scitu sunt necessariae, proponantur et explicentur. Ad hunc finem efficacius obtinendum ordinamus: 1. ut in singulis parochiis vel capellaniis adsit liber, ubi tum a parrocho, tum a

cooperatore thema concionum notetur, ita ut quovis inspicienti clarescat, quatenam fidei veritates fuerint iam expositae, quatenam praetermissae; 2. ut omnes iuniores sacerdotes saltem per decem annos omnes conciones vel plane scribant, vel saltem elenchum secundum partes principales conficiant. Uterque liber in *visitatione canonica* decano vel episcopo est porrigendus.

§. 3.

De sacerdote qua catecheta.

221. *Munus catechizandi non est levioris ponderis, quam munus concionandi.* Catechesi enim ponitur fundamentum, praedicatione superstruitur aedificium. Est ergo par utriusque muneris gravitas atque necessitas. Sicut messis a semine, firmitas aedificii a fundamento pendet, ita haud raro totius vitae cursus pendet a religiosa institutione in aetate puerili percepta.

Eapropter omnes ad catechizandum obligatos *obtestamur in Domino*, ut magna solertia hac in parte impleant ministerium suum, nec labore, nec itinerum difficultate, nec aliis obstaculis vincendi. Et hoc tanto magis, quia hostes religionis catholicae tot machinas adhibent, ut scholas a sinu Ecclesiae avellant ac iuventutem corrumpant, et quia brevissimum est tempus, pro religione tradenda lege civili determinatum.

Cum de catechista qua educatore parvulorum iam tractavimus, nunc solummodo *necessaria de principiis et de materia institutionis catecheticae statuere volumus.*

1. *Distributio materiae catechismi.*

222.

Classis	1.	2	3		4	
Annus	1.	2.	3.	4. 4. 5.	5. 5. 6.	6. 7. 8.
Horae	1	1 (2)	2	2	2	2

I. Classis (1. annus scholaris).

1. Signum crucis; doctrina de Deo uno et Trino; quaestio 29—32.

2. Creatio mundi, non systematice, sed solum enarrando res supra et circa nos, vivas et non vivas, quas Deus creavit; de Dei aeternitate, immutabilitate, omnipotentia; qu. 18., 19., 23., 33., 34.

3. Creatio angelorum; de Deo, qua purissimo Spiritu; qu. 17., 35.—~~44~~.

4. Creatio hominis et paradisus; de Dei infinita bonitate; qu. 26., 45., 46., 49.

5. Peccatum protoparentum; de Dei omniscientia et omnipraesentia; qu. 20., 21., 52.; fors de peccato in genere primae notiones; qu. 179., 180.

6. Poena peccati; de Dei infinita iustitia; qu. 25.

7. Cain et Abel, ut appareant sequelae peccati, qu. 54.

8. Deus promittit Redemptorem; de Dei infinita misericordia; qu. 27., 53.—59., 61., 64.

9. Angelus Gabriel nuntiat nativitatem Redemptoris; qu. 65., 67.

10. Nativitas Redemptoris; qu. 68.

11. Pastores; Magi ex Oriente; Christus in templo oblatus; Jesus fugit in Aegyptum; qu. 69., 70.

12. Jesus in templo hierosolymitano; qu. 71.

13. Joannes Baptista; baptismus Christi; qu. 72., 73.

14. Jesus docet per tres annos; quid faciendum ad salutem obtinendam; qu. 74.

15. Jesus benedicit parvulis.

16. Miraculum in Cana; procella in mari; multiplicatio panum; sanatio caecinati; resuscitatio iuvenis de Naim;

17. Passio D. N. Jesu Chr.; qu. 76.—80.

18. Sepultura Jesu Christi; qu. 81.

19. Resurrectio Jesu Christi; qu. 84.

20. Ascensio Jesu Christi; qu. 85., 87., 88.

21. Missio Spiritus Sancti; qu. 89., 90.

Insuper addiscant: Pater; Ave; Gloria Patri; Credo; 6 veritates fundamentales; 10 praecepta Dei; 7 Sacramenta; 7 peccata capitalia; 4 novissima; salutationem: Laudetur Jesus Christus; oratiunculam ad Angelum custodem.

II. Classis (2. annus scholasticus).

Repetitio materiae prioris anni et quidem loco convenienti; adhibeatur „catechismus parvus,“ pro posse etiam „sacra historia“ pro parvulis; hoc quoque anno primum locum tenet historia, cui veritates innituntur. Modus sit sequens:

1. Initium fiat a doctrina de ss. Trinitate; efferatur modus venerandi Ss. Trinitatem signo s. Crucis et doxologia: Gloria Patri, doceatur eiusdem invocatio in s. Missa et Litanis verbis: Kyrie eleison; et obligatio gratitudinis erga Illam.

2. Continuatio doctrinae de creatione et quidem systematice; repetitio doctrinae de angelis et protoparentibus.

3. In doctrina de homine accedit nova quaestio 50. et 53. fors verbis simplicibus ad captum parvulorum, nondum verbis catechismi, quod sequenti anno fiet; addatur uberior explicatio peccati originalis; qu. 55., 56.

4. Propter uberiolem cognitionem attributorum Dei et propter virtutes practicas pertractetur methodice historia de Noe — Dei infinita sanctitas, veracitas et fidelitas; de Abraham et de Josepho (breviter) — Dei infinita sapientia; qu. 22., 24., 28.

5. Ad meliorem captum praeceptorum Dei pertractetur historia de Moysis nativitate et de promulgatione praeceptorum in monte Sinai.

6. Repetitio et uberior enarratio vitae Jesu; qu. 60., 62., 63., 66., 75.; ex historia biblica: Visitatio Mariae; Jesu ieiunium et tentatio; Jesu sermo de ultimo iudicio; sanatio paralytici et leprosororum; resuscitatio filiae Jair et Lazari; Jesu sollemnis adventus in Jerusalem; ultima coena; abnegatio Petri; desperatio Judae; Jesu ultima verba et mors.

7. Descensio ad inferos et resurrectio; qu. 82., 83.

8. Jesu apparitio apostolis et institutio Sacramenti Poenitentiae; ascensio; qu. 86.

9. Ultimi quatuor articuli Symboli apostolici excepta qu. 93.

10. De oratione; qu. 105.—121; definitio spei omittatur.

11. Omissa definitione caritatis doctrina de praeceptis Dei et Ecclesiae; qu. 131.—157. (in quantum necessarium est et captum parvulorum non transcendit, fors indigitari poterit examen conscientiae; pg. 66.

12. Missae sacrificium; qu. 168.—170. (definitiones omittantur).

13. Justitia christiana; qu. 176.—188.

14. Novissima; qu. 190.—199.; historia de epulone et paupere Lazaro.

NB. Si parvuli maiori intelligentia praediti sunt numerosi, etiam definitionibus initium fieri potest et tractari qu. 3.—6., 8., 13.—15., 101.—104., 122.—130. Parabola de Samaritano; qu. 158.—167., 171., 177. — Si parvuli ad primam confessionem praeparantur, addatur parabola de filio prodigo.

Addiscant quoque: praecepta Ecclesiae; salutationem angelicam; Rosarium; dona Spiritus Sancti; bonam intentionem; Requiem aeternam . . . ; Salve Regina; sub Tuum praesidium; o dulcissimum Cor Jesu per manus Mariae; oremus pro Pontifice nostro; aliquas preces iaculatorias cum indulgentiis.

III. Classis (3. 4. 5. annus scholasticus).

Totus medius catechismus, et quidem in prima parte (3. anno) omnes quaestiones, exceptis iis cum signo stellae; in 2. parte (4. anno) etiam hae quaestiones.

Propter ubertatem materiae novae historiae biblicae non superaddantur exceptis iis, quae absolute necessariae

videntur, e. gr. de Jesu promittente institutionem ss. Eucharistiae; ergo historiae adhibeantur eae, quae iam notae sunt; ast usus fiat de vita Sanctorum, praeprimis Sanctorum parvulorum, qui catechesin valde fructuosam reddere poterit; talia exempla initio catechesis vel ad finem eiusdem prolata magni erunt ponderis pro educatione.

Doctrina de liturgia in hac classe initium sumat, prouti cursus anni ecclesiastici insinuaverit, vel materia catechismi; urgeatur vera devotio in cultu divino.

Addiscant: orationes pro confessione; peccata contra Spiritum Sanctum; peccata aliena, in coelum clamantia; virtutes principales; virtutes peccatis capitalibus oppositas; praecipua bona opera, opera misericordiae; consilia evangelica; virtutes theologicas (in forma abbreviata), Memorare; o Domina mea.

IV. Classis (6., 7., 8. annus scholasticus).

Repetitio catechismi; explicatio rituum sacrorum; praecipua materia sit historia biblica; historiae iam notae profundius pertractentur; catecheta historias ita distribuat, ut omnes proponantur et quidem captu faciliores in prima parte, difficiliores in secunda parte. Meminerit catecheta, historias tradi propter veritates fidei, quae in istis continentur; ergo scholares ad istas advertantur, quod potissimum de attributis divinis, de praeceptis et de christiana iustitia valet; veritates symboli iam per se historicae sunt, quapropter ita explicantur, ut corda scholarium ad timorem Dei, caritatem et gratitudinem excitentur.

Insuper memoriae imprimant: virtutes theologicas, virtutes a Jesu praecipue inculcatas; octo beatitudines; Sanctus....; veni S. Spiritus; in omnibus rebus fiat voluntas Dei; Deus, qui nobis in Sacramento mirabili . . . ; anima Christi; communionem spiritualem; orationem ad s. Joseph, ad s. Aloysium.

NB. Quia doctrina de attributis divinis perquam utilis est atque necessaria, commendatur, ut haec quoque certo ordine in memoria retineantur.

2. Quaedam principia generalia.

223. Ex hac distributione materiae patet :

a) *Explanationem catechismi systematicam*, ita ut catechismus praevaleat, *inchoari in III. classe*, vel 3., 4., 5. anno scholastico ope catechismi medii ;

b) in *classibus vero I. et II.* vel in 1. et 2. anno scholastico *praevalere historiam biblicam*, quae methodice tractetur, cuique superstruantur veritates fidei, et quidem demum in II. classe, non antea, ope catechismi parvi ;

c) in *classe IV.* vel 6., 7., 8. anno *primum locum occupare iterum historiam biblicam* in connexione cum catechismo ;

d) neque negligendam esse vitam Sanctorum, praecipue parvulorum, iuvenum et virginum, quorum exempla iam in classe III. magno cum fructu adhiberi possunt ;

e) in classe III. et sequenti etiam *liturgiam ecclesiasticam* esse explanandum ;

f) gradatim et systematice oratiunculas varias memoriae parvulorum imprimendas esse, eosque ad varias perutiles devotiones informandos esse.

3. Monita et statuta.¹⁾

224. Inde *monemus et statuimus* :

a) Unaquaeque lectio incipiatur finiaturque oratione vel cantu ; catechista invigilet, quomodo iuventus intra orandum se gerat, eamque hac de re saepe instruat ; *caveat, ne oratio communis nimis lente vel confuse vel clamorose proferatur* ;

b) in docendo catecheta sequatur *catechismum ab omnibus episcopis Austriae probatum et praescriptum* et exigit, ut post praevidam explicationem verba catechismi accurate memoriae tradantur, nec responsis, propriis discipulorum verbis datis, saepissime mancis, acquiescat ;

c) *obligamus catechistas* omnium scholarum, ut *accurate observent distributionem materiae in Synodo hac prae-*

¹⁾ Acta et Stat. syn. Premisl. pag. 94 sqq.

scriptam et ita institutio religionis in omnibus scholis sit uniformis, iuventus vero, si forte in aliam parochiam migret, facilius totum catechismum ediscat, quod fieri non posset, si in unaquaque schola alia esset doctrinae distributio; ubi vero scholares captu tardiores sunt, materia magis adhuc restringatur, sed ordo nihilominus servetur, ut quolibet anno omnes partes catechismi pertractentur; ideo

d) catechistis suadetur, ante initium anni scholaris parare sibi distributionem specialem pro singulis horis, ratione habita numeri horarum doctrinae religionis assignatarum, nec non qualitatis scholae, indigentiarum iuventutis aliarumque loci circumstantiarum. Catechistae scholarum popularium *obligantur post unamquamque lectionem partem catechismi traditam notare in diario*, qui in omnibus parochiis praesto esse debet; cui praescripto observando *invigilent parochi et decani*;

e) officium est catechistae in tradenda doctrina religionis optima ratione uti, quam in seminario sibi acquirere debet; quaelibet lectio religionis tendat ad educationem christianam.

§. 4.

***De sacerdote in vita politica.*¹⁾**

225. *Omne studium ponere in rebus politicis non est clericorum*, quippe qui tamquam homines Dei et Deo militantes, apprime rebus divinis dediti esse debeant. Juste eos monet Leo XIII. in epistola ad episcopos Hispaniae: ²⁾ „Profecto, sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam coelestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum.“

Rursus *non est aequum, ut clerici rerum politicarum sint ignari aut omnino indifferentes circa eas*. Nam et ipsi ut *custodes Sion* debent vigilias agere, ne Ecclesia ab adversariis oppugnetur, ne leges perversae constituentur, ne

¹⁾ Synod. Brixin. pg. 118. sqq.; Act. et Stat. Premisl. pg. 309. sqq.

²⁾ de 8. dec. 1882.

errores et vitia spargantur, neve libri et ephemerides veneno infectae propagentur; ut *cives* vero, prouti officiis ligantur et bonum reipublicae pro viribus promovere tenentur, ita iuribus civilibus sibi competentibus privari non possunt.

Nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae, eo vel magis, *cum clericis et catholicis viris otiosis „facile habenas accepturi sunt ii, quorum opinioniones spem salutis haud sane magnam afferant.“*¹⁾

226. De officiis civium catholicorum in genere multa protulit Leo XIII.; eiusdem doctrinas, imprimis de concordia catholicorum, omnibus tenendas summopere inculcamus.²⁾ *Relate vero ad agendi modum clericorum secuti vestigia aliorum episcoporum sequentes regulas statuimus:*

a) *Singularis prudentia requiritur*, ne sacerdotes sive per defectum sive per excessum e recto tramite declinent;

b) animarum curator *advertat et cognoscere studeat*, quatenus placita circa rem politicam in parochia vigeant, quae praevaleant, qualis pugna, quinam partium coriphaei, quales ephemerides ibidem propagentur et legantur;

c) *ne nimis se immisceat rebus mere politicis et communalibus*, nec immoderate curet de legibus saecularibus, quae nullum prorsus nexum cum religione habent, sed potius tum ipse illis obediat, tum alios hanc obedientiam doceat, similiter amorem patriae et ipse ostendat et apud parochianos foveat;

d) consequenter, si *scissio parochianorum* in duas vel plures partes *nullo modo tangit religionem*, sed ex aliis causis orta est, sacerdotes nulli parti faveant, sed super singulas partes quasi elati, ea, quae pacis sunt, sectentur, et omnibus aequalem curam et iustitiam exhibeant;

e) si vero partes ita sibi sunt adversae, ut una principiis minus rectis, seu non catholicis regatur, e. g. si viros sequitur, qui rei catholicae adversantur, ephemerides prohibitas defendunt atque Ecclesiae auctoritatem spernunt, *tunc*

¹⁾ Encycl. Immortale Dei de 1. nov. 1885.

²⁾ Vide in append. tit. V. cp. III.

illi parti adhaereant, quae ordinem socialem, auctoritatem Ecclesiae, principia catholica prae oculis habet;

f) quoniam factiones laicales atque collegia, quae potestate legifera pollent, res et leges pertractare solent, quae religionem concernunt, clerici eodem saltem jure huiusmodi res cum religione connexas tractare, evincere et jura sua persequi possunt;

g) potest sacerdos, persaepe directe tenetur, juribus civilibus sibi competentibus uti, ac propterea in statu constitutionali adlaborare debet, ut viri probi ad comitia publica ablegentur; potest, et interdum tenetur, non solum eligere, sed et mandatum eligentium accipere; et revera permitti potest, ut aliquod clerici doctrina, prudentia, eloquentia ac virtute praestantes ad comitia sive provinciae, sive imperii delegentur, ibique causam religionis et ordinis christiani scite et strenue defendant;

h) in actionibus politicis clerici has regulas observent:

1. modum non excedant, quia ad eos non pertinet, populum perturbare, sed fideliter pascere; — 2. ne iniuste agant, media illicita respuant, neque ipsis adversariis aequitatem et iustitiam denegent; — 3. ne imprudenter se gerant, sed perpendant, quid honor sacerdotii, decorum clericale, officium pastorale ab iis exigit; — 4. ne avidi sint aurae popularis; qui in rebus politicis se ipsos quam maxime quaerunt, serius ocus incidunt in laqueum diaboli, et quando hominibus placere anhelant, servi Dei esse desinunt;

i) 1) quando electiones politicae indicantur, volumus, ut quicumque de clero ad munus deputati aspirat, sive sponte sua, sive ab aliis proponitur, antequam candidaturam pro tali munere suscipit, episcopum de hoc certiores reddat, quidque ille sentiat, exquirat; vitandum est, ne, sicubi vir laicus bonae notae et vere catholicus qua candidatus constituitur, necessariisque gaudet qualitatibus, quis de clero qua candidatus adversarius illum oppugnet, multo magis ne sacerdos contra sacerdotem insurgat, maxime vero, ne sacerdos

¹⁾ Škof. List 1895, pg. 97 sqq.

forte eorum partes sequatur, qui tamquam filii inobedientiae auctoritatem spernunt ecclesiasticam.

227. Res politicae quam plurimum in ephemeridibus pertractantur. Cum in nostra dioecesi bonae ephemerides fere exclusive a *clericis redigantur, adlaborent, ut rectum scribendi modum observent.* ¹⁾ Etsi enim scriptoribus catholicis honesta libertas omnino concedenda est, tamen ipsi in omnibus primo loco servant veritatem, caritatem, iustitiam, prudentiam, debitamque obedientiam et reverentiam erga Superiores.

Abstinentum igitur est scriptoribus catholicis a nimis aestuosis disputationibus, iurgiis, mutuis censuris, suggillationibus; minime vero iisdem ea commendanda est caritas et prudentia, quae, ne hominibus displiceat, foveat errores et veritatem erubescat, silentioque premat, ubi audacter loquendum atque scribendum est.

Quodsi scriptores catholici *de rebus religiosis* agant, sequantur oportet *doctrinam sanam catholicam*, nec solummodo dogmatum sensum calleant, sed etiam formam habeant sanorum verborum.

Porro cum episcopis commissum sit regimen ecclesiasticum in dioecesibus, male agunt scriptores catholici, qui episcopis modum regiminis quasi praescribunt, eorumque modum agendi, acta officii, epistolas pastorales publice reprehendunt, carpunt, suo iudicio censorio subiiciunt.

Denique scriptoribus catholicis, qui nostra aetate de rebus politicis libros vel libellos vel diaria publicant, summa prudentia est necessaria. Multae enim res politicae cum rebus religiosis intime connexae sunt, atque de origine civitatis, de formis regiminis, de relatione Ecclesiam inter et civitatem, de factis historicis recte iudicandis genuina principia sunt proponenda; *imprimis cavendum, ne ullae pronuntiationes fiant, quae quasi defensiones et propugnationes supremae populi haberi possint.* Illud insuper cavendum, ne factionibus vel formis politicis ita applicent causam religionis catholicae, quasi ab illa existentia et iura Ecclesiae penderent.

¹⁾ Encycl. Leonis XIII.: „Cognita vobis“; cfr. Wernz. l. c. pg. 149.

§. 5.

De sacerdote in vita sociali.

228. „Quorundam opinio est“, refert Leo XIII., ¹⁾ quae in vulgus manat, *quaestionem socialem* oeconomicam esse tantummodo, quam contra *verissimum sit et moralem imprimis et religiosam esse*, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam.“

Inde Summus Pontifex deducit tum pro laicis, tum pro clericis obligationem concurrenti ad solutionem huius quaestionis. „Jamvero“, ait Leo XIII., „in toto hoc rerum genere, quod cum Ecclesiae et plebis christianae rationibus omnino copulatur, apparet, quid non elaborare debeant, qui sacro munere funguntur et quam varia doctrinae, prudentiae, caritatis industria id possint.“

Deinde prosequitur: „*Prodire in populum in eoque salutariter versari oportunum esse*, prouti res sunt ac tempora, *non semel Nobis homines e clero allocutis visum est affirmare*. Saepius autem per litteras ad episcopos aliosque sacri ordinis viros . . . datas hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse utriusque ordinis clericorum.“

229. Edocti et provocati a Summo Pontifice episcopi ubique terrarum verbo et exemplo clerum suum ad laborem in variis societatibus socialibus condendis et adiuvandis. Successum vidimus tum in Italia superiore, tum in Germania, tum in Austria et speciatim in nostra dioecesi. Nonne sacerdotes laudabiliter operam dederunt et adhuc dant in erigendis et moderandis diversis societatibus operariorum et opificum, in variis coetibus agricularum, in consortiis parsimoniae et mutationis ad modum Raiffeisenianum, in societatibus ad excolendam iuventutem, in condendis lectoriis? nonne magno cum fructu partem dederunt et adhuc dant in variis conventibus et congressibus, ubi sacerdotes praediti ingenio et armati sufficienti scientia sermonibus suis

¹⁾ Encycl. „Graves de communi“ de 18. jan. 1901, vide Appendicis tit. VI. cp. I.

populum in rectam viam pertrahere conabantur et revera pertraxerunt? nonne moderando diversa diaria populum a multis erroribus praeservaverunt?

Quis negare audeat, tali operandi modo maxima servitia Ecclesiae catholicae exhibita fuisse? Nonne populus Ecclesiam et Christum Jesum magis adamavit? nonne firmitus ipsi adhaeret?

230. *Revera actio socialis intensiva periculorum plena est.* Ipse Summus Pontifex dicit in praelaudata encyclica: „Qui tamen (clerici) in eiusmodi officiis explendis caute admodum prudenterque faciant ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper ac humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alique . . . complures assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut non plus aequo distenti, neque immemores sui, contentione pari suum ipsi animum ad perfectionem virtutis omnis excolerent.“

Nos quoque de istis periculis locuti sumus tum in conventu decanorum a. 1899,¹⁾ tum in conferentiis pastoralibus²⁾ eo cum fine, ut sacerdotes pericula cognoscere atque declinare possent. Nunc vero dicimus et *monemus*:

a) *Sacerdotes omnibus viribus tum ex caritatis officio, tum qua animarum pastores socialem vitam foveant* et libenter cum populo conversentur, semper vero prae oculis habentes, etiam hac in re primum sibi incumbere officium educandi omnes in spiritu et vita Christi;

b) cum amore et ardore officium suum *qua catechetae* adimpleant adlaborando tum ad bonam christianam educationem, tum ad exactam institutionem iuventutis, praecipue puerorum;

c) sacerdotes *in concionibus* etiam themata seligant, quae cum quaestione sociali cohaerent: de temperantia, de parsimonia et prodigalitate, de valore temporalium et aeternorum, de divitiis et paupertate, de otio et labore, de fine hominis et de similibus;

¹⁾ Škof. List 1899, pg. 66. sqq.

²⁾ Škof. List a. 1900 post pg. 60.

d) sacerdotes varias *associationes* operariorum, artificum, agricolarum foveant, verbo et opere promoveant, in defectu laicorum dirigant, semperque et in omni casu desuper vigilant qua primi consiliarii et promotores. Praeprimis vero e laicis viros aptos seligant eosque educent, qui in talibus associationibus secretariorum munere fungi possunt;

e) sacerdotes nulli labori parcant, ut *iuvenes* associationibus aggregent, ibique veram eorum culturam promoveant;

f) sacerdotes curent, ut *directio centralis* pro organizatione operariorum, opificum, agricolarum, iuvenum instituat, vel, ubi iam instituta est, magis magisque firmetur; si sacerdotes invenerimus idoneos, desideramus toti organizationi dirigendae eos praeficere;

g) sacerdotes *studio quaestionis socialis incumbant*, quod praeprimis et facili modo in variis et frequentibus conferentiis fieri potest, si unus prae ceteris in hac quaestione qua referens constituatur;

h) sacerdotes maiorem et *praecipuam curam impendant Sodalitati Marianae*; insuper semper et ubique varios socios in diversis associationibus ad sanctificationem festorum, ad recipienda Sacramenta, ad temperantiam, ad vitam familiarem impellant.

i) sacerdotes curam pro populo ita *temperant, ut sui non obliviscantur*, sed talem vitae ordinem sibi disponant, ut meditationi, lectioni spirituali et studio scientiae sacrae vacare possint;

k) in genere, quidquid in hac Synodo de educatione iuventutis, de vita populi et cleri statutum fuit, ad amussim observare adnitantur.

Cap. V.

De collatione munerum ecclesiasticorum.

231. Clerici promoti ad ordinem sacerdotalem ad varia munera obeunda mittuntur. Maxima eorum pars occupatur cura et regimine animarum. De his ait Pius IX., quod tum

moribus, tum scientia eminere debeant, ut tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam Sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione, ac bonorum operum exemplo continenter pascere, iuvare eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare atque ad salutis semitam perducere studeant. Pastoribus animarum, nimirum officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam et religionis cultum dissolvi atque convelli, ac vitia omnia atque corruptelas in Ecclesiam facile invehiri, bene intelligitur.¹⁾

Quapropter *de cooperatoribus et parochis* quaedam necessaria proferre ac statuere intendimus.

§. 1.

De cooperatore.

232. Cooperatores vel coadiutores dantur parochis curam animarum exercentibus, quorum tamen vires ob permagnum numerum fidelium, vel ob alias causas omnibus officiis rite adimplendis sufficientes non sunt. Hos cooperatores in vinea Domini *adhortamur*:

a) *Memores obedientiae promissae* in ordinatione parati sint illam partem vineae dominicae excolendo, quae ab episcopo eis fuit demandata; ne respiciant, quaenam parochia sit ditior vel commodior, quinam parochus magis benevolus vel largus, cum non hominibus, sed soli Deo serviant, etsi inter homines;

b) *omnes persuasi sint*, quod episcopus in designanda parochia, ubi coadiutoris munus obeant, mature et coram Deo perpenderit, qualis sit parochia eiusque indigentiae, qualis coadiutoris scientia, habilitas, fervor, salus corporalis, qualisque parochus et quod nonnisi omnibus rite coram Deo perpensis decretum ediderit. Si vero coadiutor se revera gravatum existimaverit, vel quacumque rationabili et iusta causa munus demandatum suscipere formidaverit, pan-

¹⁾ Pius IX.: „Qui pluribus“ 9. nov. 1846.

dat Ordinario difficultates, qui, in quantum fieri poterit, vel statim, vel iusto tempore rationem earum est habiturus;

c) curet coadiutor statim ab initio, ne amor Dei et proximi in ipsius corde defervescat et paulatim exstinguatur; quapropter omnes in *Domino obsecramus, ne media sanctae vitae conservandae omittant, omnesque occasiones, quae periculo esse possent, constanter evitent*; omnes obsecramus, ut punctuatim cuncta observent, quae in hac Synodo sacerdotibus quoad pietatem, varias virtutes, praecipue quoad castitatem, sobrietatem et prohibitas clero delectationes, et diversa officia inculcavimus. Si vero *quis propter speciales et extraordinarias circumstantias in periculum proximum devenerit, aperte et discrete certiores reddat suum Ordinarium, qui illi providebit*;

d) cooperatores ad *strictam residentiam* obligantur, ita ut *absque licentia parochi vel administratoris neque ad unam diem abesse possint; pro absentia ultra tres dies, sed infra octiduum, licentia decani, pro absentia longiori, quam octo dierum, licentia Ordinariatus requiritur. Suadetur, ut, etsi ad breve tempus e domo exierint, domesticis indicent, ubi casu necessitatis inveniri possint. Desideramus vero, ut cooperatores tempore feriarum ad recreandas vires per duas saltem vel tres hebdomades ab officiis liberentur*; volumus insuper, ut *sanitati eorum prospiciatur, praecavendo, ne sint onera eorum nimis gravia, vel habitationes eorum insalubres*.

§. 2.

***De mutua parochi et cooperatoris relatione.*¹⁾**

233. *Mutua relatio parochi et cooperatoris* non est in iure stricte determinata; ne vero ambiguitas hac in re discordiae et controversiis aperiat portam, *sequentes regulas ab utraque parte servandas statuimus*:

a) Parochus et cooperator sunt *ministri eiusdem Domini*; debent ergo mutua reverentia, caritate ac comitate

¹⁾ Cfr. Acta et Statuta Syn. dioec. Premisl. pg. 245 sqq.; Actiones et Constit. Syn. dioec. lavant. a. 1900, pg. 534 sqq. — Instr. Eystett. tit. XIII., cp. VIII., §. 3., 4.

sese prosequi, atque alter alterius onera portare, cum unusquisque, licet sanctus sit, nihilominus variis defectibus laboret;

b) parochus cooperatorem ut fratrem suum, licet aetate et experientia minorem, observet et iuvet; quapropter non solum ei honorem dignitati sacerdotali debitum tribuat, bonum exemplum in omnibus praebeat, societatem suam et auxilium non deneget, sed etiam benevole eum excipiat, prudenter consilio suo dirigat, libenter ad curae pastoralis munia informet;

c) nihil eorum, quae parochus nosse atque ex officio didicisse tenetur, cooperatorem suum ignorare patiatur, praesertim circa ea, quae dispensationes matrimoniales, ^{abaculis} (libros baptismales), archivum ordinandum, statum animarum, administrationem bonorum Ecclesiae, aliaque id genus concernunt, quae etiam ab ipso cooperatore describi postulet, ut iuniores practice discere valeant, quae theoretice vix tradi possunt;

d) si cooperator a viis Domini *aberrare* coeperit, parochus eum *paterne moneat*; si vero *iterata* admonitio frustranea fuerit, rem *ad Nos* deferat;

e) curet parochus cooperatorem *gravi morbo* laborantem; periculo mortis imminente Sacramenta ei administret vel confessarium procuret.)

f) vicissim *cooperator parochum* tamquam fratrem seniore ^{quatenus sacerdos} et superiore ^{quatenus parochus} revereatur, *obedientiam* canonicam ei exhibeat, atque *omnia amoris officia* ei praestet;

g) *caveant* cooperatores omnem murmurationem, inurbanitatem, mores incultos et oppositiones a nimio sui amore provenientes; e contra modeste a parocho petant, quae sibi agenda sint, eiusque monitis et consiliis morem gerant. In divinis officiis vel scholis nihil inscio parochi addant vel demant; et quando eum errasse vel contra ecclesiasticas constitutiones quid constituisse *certam* conscientiam habent, hoc ingenue et reverenter eidem exponant; de statu aegrotorum, quos visitarunt, parochum accuratissime certiore reddant;

(h) si contingat, quod absit, ut quis cooperator iure merito censeat, se *plus aequo a paracho gravari*, volumus, ut in eiusmodi casu propter bonum pacis modo provisorio paracho obediat, donec res aut decano, aut nobis fuerit *proposita et decisa*;

i) *ordinem domesticum*, a paracho constitutum, cooperator *punctualiter* observet; ubi ergo propter causas tantummodo privatas minimeque urgentes et absque parochi venia hora competenti non comparuerit, parochus illi mensam consuetam instruere non tenetur; *econtra obstantibus etiam causis publicis*, v. gr. *conventibus societatum et similibus et functionibus ecclesiasticis*, *ordinem domesticum mordaciter ad incommodum sacerdotum subiectorum servari velle*: haec prorsus iniqua foret *postulatio parochi*;

k) *desideramus et mandamus, ut paracho et cooperatori sit mensa communis*; de pretio et solutione inter se convenient; ubi parochus obligatus est, victum praestare *gratis, libenter, absque murmuratione et offensione cooperatoris id faciat*; *mensa communis dissolvi non potest absque licentia Ordinariatus*. Ubi cooperator iam ab antiquis temporibus mensam propriam habet, nihilominus *saepe, si possibile quotidie*, parochum adeat, atque etiam *parochus societatem cooperatoris quaerat*, ita ut per frequentiore[m] mutuam conversationem in *amore* maneant et ad curam animarum necessaria collatis consiliis disponant;

l) *nunquam cooperator de parochi regimine coram parochianis disserat*, neve defectus eius revelet coram iis, quorum nihil interest, quin potius dotes et virtutes eius omnibus commendet; nimiam parochianorum familiaritatem devitet, neque absque necessitate domus adeat eorum, qui sese paracho offensos ostendunt; eos autem, qui coram se in parochum invehuntur, corrigat et graviter obiurget; si vero cooperator viderit, parochum turpibus vitiis indulgere parochianosque offendere, rem *discrete* decano vel episcopo exponat; *et alio -*

m) *rei familiari parochi ne se immisceat*; famulos et ancillas ne despiciat, at vero *omnem cum iis familiaritatem*

omnino devitet. Viceversa parochus nullo modo patiatur, ut famuli cooperatorem despiciant, vel debitam ei reverentiam denegent;

(n) si parochus in morbum inciderit, auxilium ei praestet curetque, ut ipse mature Sacramenta suscipiat, et de morte eius proxima vel iam secuta decanum sine mora certiolem reddat.)

§. 3.

De modo conferendi beneficia curata.¹⁾

234. Ad obeunda munera et officia parochialia in vacantibus beneficiis curatis vel iis, quae illis aequiparantur, ab Ordinariatu *administrator ad tempus* deputatur cum iurisdictione parochiali.

Pro taliter proviso beneficio indicitur *publicus concursus* vel *statim*, cum beneficium parochiale factum est vacans, vel interiecto impedimento et habito respectu specialium circumstantiarum *tempore, quo Ordinariatus episcopalis constituet.*

1. Observationes generales de modo procedendi.

235. *Ad vacans et rite promulgatum beneficium parochiale competere* possunt presbyteri, qui *examen concursale* quoad *scientiam* e theologicis disciplinis bono cum successu subierunt, et super hoc testimonium obtinuerunt, vel a tali tentamine liberati sunt.

Praeter examen de doctrina ambientes vacans beneficium subibunt *etiam examen de ceteris dotibus*, quas Concilium Tridentinum a moderatoribus ecclesiarum parochialium requirit.

Qui in duplici hoc examine approbati et digni reputati sunt, praesentantur ab Ordinario, *audita opinione saltem trium de numero examinerum synodaliu* vel prosynodaliu, patrono beneficii, nisi sit beneficium liberae collationis episcopalis.

¹⁾ Dioecesanblatt a. 1876, pg. 71 sqq.; Actiones et Constit. Syn. lavant. a. 1900, pg. 561 sqq.; Škof. List a. 1902, pg. 49; a. 1903, pg. 9 sqq.

Si patronatus est privatus (laicalis), patronus unum ex iis competentibus, qui ab episcopo qua idonei declarati sunt, statuto tempore specialibus litteris episcopo praesentabit; si tempus neglexerit, vel non idoneum praesentaverit, beneficium liberae collationis evadit. *Si patronatus est ecclesiasticus*, patrono ecclesiastico e competentibus nominabuntur tres prae reliquis digni et idonei; patronus illum, quem prae ceteris dignum iudicaverit, episcopo praesentabit. *Si ius patronatus exercetur a gubernio titulo fundi religionis vel aliquo alio ecclesiastico titulo*, tum e tribus ab episcopo propositis gubernium unum, ordinarie illum ad parochiam praesentabit, qui ab episcopo primo loco propositus fuit. Immo Sua Maiestas eundem modum benigne permisit etiam quoad beneficia, quae patronatus *caesarei* sunt.

Praesentatum vel nominatum constituet episcopus parochum in vacante beneficio curato modo hucusque consueto post factam fidei professionem et post emissum praescriptum iuramentum fidelitatis, obedientiae, reverentiae et subiectionis.

2. Observationes generales de concursu parochiali.

236. Concursus parochialis instituendus est iuxta normas a S. Sede praescriptas, praesertim Constitutione Pii V.: „In conferendis“¹⁾ et Constitutione Benedicti XIV.: „Cum illud“²⁾. Examen instituetur per examinatores synodales vel prosynodales.

Examinatores eligantur viri scientia et integritate morum insignes e Clero tum saeculari tum regulari; obligandi sunt iuramento canonice praescripto ad fidelem muneris sui executionem.

Examen concursale datur duplex: alterum quoad *scientiam*, alterum quod *aetatem, mores, pastorem prudentiam, peritiam, aliasque dotes* opportunas vel necessarias ad ecclesiam vacantem rite providendam.

¹⁾ De die 18. Martii 1567.

²⁾ De die 14. dec. 1742.

Primum habebitur *bis in anno* tempore verno mense Maio, et tempore autumnali mense Octobri; dies determinati publicabuntur quolibet anno ad calcem directorii dioecesiani. *Secundum* examen vero instituetur *immediate ante collationem* beneficii vacantis.

Iste modus *observari solet in Austria vigore specialis facultatis a S. Sede episcopis ditionis Austro-Hungaricae concessae*;¹⁾ e quo qui approbati fuerint, ad quodcumque parochiale beneficium, intra *sex proxime sequentes annos* vacaturum, concurrendi jus habent.

3. *Examen quoad scientiam theologicam.*

237. Ad hoc examen scientificum admittuntur tantummodo illi sacerdotes, qui ad minimum *per tres annos in cura animarum vel in aliis ecclesiasticis beneficiis obeundis bene meriti sunt*. Examen hoc subituri obligantur ad minimum *mense uno ante tempus* statutum ad concursum certiorum reddere rev. dom. *decanum, qui statim de illorum dignitate referet Ordinatus episcopali*. Solum ii, qui licentiam ab Ordinario acceperunt mediante decano, possunt comparere in examine. Domini decani tenentur conscientiose renuntiare ea, quae pro petentibus, quaeque contra illos loquuntur, ut praecaveantur omnes consequentiae, quae ex collocazione minus habilium vel minus dignorum in aliquo parochiali beneficio resultant.

238. Vigore facultatum S. Sedis²⁾ in nostra dioecesi *tentamen e scientiis theologicis pro quolibet sacerdote bis instituitur*, et quidem qualibet vice ex una parte materiae ad tentamen destinatae. Modum statuimus sequentem:³⁾

a) *tempore vernali* habebitur examen e positiva dogmatica, iure canonico et e titulo IV. statutorum synodali; concio quoque hac occasione pronuntiabitur;

b) *tempore autumnali* habebitur examen e theologia morali, e theologia pastoralis, e titulis II. et III. statutorum

¹⁾ Die 4. jun. 1880.

²⁾ De die 17. dec. 1901.

³⁾ Škof. List a. 1903, pg. 9. sqq.

synodaliū, e catechetica, e catechismo, atque e paraphrasi seu exegesi sacrae Scripturae, vel homilia.

Utraque vice concurrentes responsa dabunt *scripto-tenus* ex omnibus praescriptis materiis, excepto catechismo et concione, *oretenus* etiam ex omnibus, excepta paraphrasi vel homilia.

Examine destinantur utraque vice *duo dies*, et quidem primus pro quaestionibus scripto exarandis, secundus vero pro examine *oretenus* subeundo.

Infra *biennium* examen ex utraque parte sub *poena nullitatis* absolvendum est; exemptio non concedetur, nisi in casu evidentis necessitatis vel impossibilitatis. *Sex anni valoris* computandi sunt a die *examenis integre* absoluti.

239. Ante examen subeundum determinabit Ordinarius vel praeses examinerum synodaliū e numero talium examinerum *ad minimum tres*, qui hac vice in examine fungi debent. Si inter examinandos inveniretur consanguineus vel affinis unius examineris usque ad secundum gradum, tunc pro hac vice talis examiner ad examen designari non poterit.

240. Die determinata ad examen *congregantur mane hora octava examinandi in conclavi determinato* et considunt ordine alphabetico cognominum. Praeses commissionis examenis indicat initium tentaminis et monet candidatos, ne secum conferant, neque adhibeant illicita media auxiliaria et annuntiat clausuram.

Ab hoc momento nulli candidatorum licitum est, locum examenis prius relinquere, quam elaboratum suo nomine signatum tradiderit. Neque licet cuidam, excepto examinatore competentis materiae, locum examenis intrare.

Praeses concursus aut examiner ipse praesentibus ostendit quaestionem obsigillatam, frangit sigillum in conspectu omnium et clare dictat quaestionem propositam. In elaborando responso permittitur uti S. Scriptura, Concordantiis Bibliorum, decretis Conc. Tridentini, Corpore juris canonici, et Codice civili.

Elapso tempore ad solvendas quaestiones designato, inspector colligit elaborata, a competentibus candidatis et ab ipso subscripta traditque ea competenti examinatori. Clauso tentamine scripto dimittuntur candidati cum mandato, die sequenti veniendi ad examen orale.

241. *Hora praestituta veniunt omnes examinandi in conclave examinis* et considunt modo superius notato. Dein exorditur examen orale e disciplinis theologicis pro hac vice designatis. Notandum, quod seorsim quaestiones dantur ex theologia pastorali et seorsim e catechetica; e catechismo bene sciant candidati non solummodo varias eiusdem divisiones et subdivisiones cum quaestionibus et responsis, sed etiam intrinsecum nexum quaestionum et partium, differentiam inter catechismum parvum, medium et maiorem, nec non divisionem materiae pro singulis classibus vel annis frequentationis.

Quaestiones e singulis disciplinis ponit examinador huius obiecti; sed etiam praeses potest examinando proponere quaestionem.

242. *Successus examinis* definitur ab examinadoribus per suffragia agnoscenda sequentibus notis: eminenter, valde bene, bene, sufficienter, insufficienter.

Haec classificatio inscribitur in protocollo, quod ab omnibus commissariis examinis subscribendum est et ex quo testimonia approbationis exhibenda veniunt.

Qui *ex aliqua materia approbari non meruerit, ex eadem tentamini repetendo saltem infra annum se denuo sistat* oportet. Reprobationis nota *e duabus disciplinis* quilibet vice obligationem examinis *de integro* repetendi importat.

243. Sacra Congregatio negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita *de dispensatione a repetitione* examinis cum bono successu facti statuit sequentia:

„Quovis exeunte sexennio, qui approbati fuerint, denuo concursui se sistant oportet, a quo onere ii dumtaxat ecclesiastici eximentur viri, qui in praesentia inter synodales vel

prosynodales examinatores sint adsciti, quique propter muneris aut beneficii, quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua Ecclesiae cum laude servierunt, de eorum scientia probationem satis superque exhibeant, quique idcirco ab episcopo, audita examinerum sententia, ab hac concursus lege immunes fuerint declarati.“

Haec norma ab Ordinariatu servari debet. Ab examine concursali possunt *liberari*: canonici gremiales et honorarii, examinatores synodales vel prosynodales, professores sacrae theologiae et doctores, decani, professores institutionis religiosae in gymnasiis, paedagogiis et scholis realibus; porro curati, qui e maiori materiarum numero examen concursale cum nota eminentiae vel valde bene subierunt et bene ac laudabiliter meriti sunt in rebus ad Ecclesiam pertinentibus. His accensendi sunt etiam illi, qui etiamsi in examine eminentem aut valde bonam approbationis censuram non retulerint, editis tamen scriptis vel tractatibus laude dignis, aut quaestionibus in conferentiis pastoralibus vel conferentiis Sodalitatis sacerdotum praeclare solutis solida eruditionis theologicae specimina dederunt.

Qui autem ex omnibus tentaminis articulis simplicis approbationis notas retulerunt, a repetendo examinis periculo eximi poterunt, si per decem annos munere aliquo ecclesiastico *eximia cum laude* functi fuerint.

Liberatio conceditur ad tempus definitum, consue pro sex annis, vel ad tempus indefinitum, vel vero pro semper.

Desiderantes liberationem suos supplices libellos per officium decanale, quod suum pro merito iudicium adjungat, porrigere debent ad episcopalem Ordinariatum. Qui ambire ergo cupiunt aliquod beneficium parochiale et ad hunc finem liberationem obtinere ab examine scientifico, suum libellum supplicem pro hac liberatione *uno saltem mense ante terminum concursus* substernant Ordinariatui. *Competentia, quae non instructa invenitur obtenta liberatione, remittetur auctori.*

4. *Examen quoad ceteras competentium qualitates.*

244. Quoniam non semper is, qui magis doctus, est magis quoque habilis ad munus parochiale obeundum, idcirco secundum legem Tridentinam et iuxta praescripta Sanctae Sedis, data in Constitutione Benedicti XIV. ¹⁾ *approbati in examine scientifico aut liberati ab eo subiiciantur necesse est examini quoad reliqua ad exercendum munus parochiale requisita: nempe quoad aetatem, mores, pastorem prudentiam, honestatem, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta doctrinae arcto foedere consocianda.*

Singulares quoque circumstantiae et indigentiae in beneficio parochiali ad concursum publice annuntiato obversantes, v. gr. si parochia sit quoad mores depravata, omnino neglecta, politice vel socialiter perturbata, si adsit aliqua enormis difficultas in construenda ecclesia aliisque aedificiis parochialibus reparandis, postulant speciales dotes a concurrentibus.

Ambientes beneficium annuntiatum oportet in praesignato termino libellos suos supplices dirigere ad episcopalem Ordinariatum. *Libelli porrecti post tempus definitum non respiciuntur.*

Examen hoc fit a tribus saltem examinadoribus synodalibus vel prosynodalibus, quos Ordinarius seliget. Selectis examinadoribus libelli supplices cum tabella, unde candidatorum munera dignosci poterunt, exhibebuntur, ut determinato tempore iudicium suum de competentibus episcopo scripto notum faciant. Examinatores singulorum qualitates simul et indigentias parochiae vacantis expendent, dein iudicium suum mutuo collatis consiliis vel per votum collectivum, vel ubi eos dissentire contigerit, per votum separatum ac sub sigillo actis acclusum Ordinario manifestabunt.

Ordinarius tunc inspectis omnibus actis utriusque examinis, *adhibita quoque propria scientia*, tum de qualitate

¹⁾ De die 14. dec. 1742.

competentium, tum de indigentiis parochianorum, determinat, quos ex approbatis candidatis ad providendum vacans beneficium iudicat esse magis peritos et idoneos et quo ordine qualificados praesentare oportet patrono.

245. In valore manet decretum de concursu parochiali editum ab Illustrissimo episcopo Joanne Chrysostomo die 25. Febr. 1876¹⁾ quoad partes, quas hisce statutis non attingimus, praecipue, quae sub numeris I.—V. de conclavi praeparando, de cancellario et notario concursus, atque de examinerum officiiis statuta sunt.

§. 4.

De examine ad obtinendum munus catecheticum.²⁾

246. Qui munus catecheticum appetit in scholis, in quibus salarium a gubernio porrigitur, eodem modo munus obtinebit, ac professores laici, ergo a gubernio, cui libellus supplex porrigi debet. *Per se patet, munus catecheticum exerceri a nemine posse, nisi a sacerdotibus, qui ab Ordinario fuerint declarati idonei, quique ab illo missionem canonicam ad tale munus obeundum acceperint.*

247. De scientifica idoneitate Ordinarius iudicium feret vel ex servitiis, per competentem hucusque iam Ecclesiae exhibitis, vel ex examine hunc in finem ordinato.

Examen habebitur vel ab examineribus synodalibus, vel a selectis professoribus scholarum mediarum sub praesidio examineris synodalis.

Ad probandam scientiam tentamen subeundum est e theologia fundamentali et dogmatica, e theologia morali, ex historia ecclesiastica, e liturgica, e catechismo, e catechetica et paedagogica saltem in eodem ambitu, quo in seminario theologico requiritur.

Ad approbationem pro scholis elementaribus non requiritur nisi examen e catechismo, e liturgica, atque e catechetica et paedagogica.

¹⁾ Dioecesanblatt a. 1876, pg. 71.—77.

²⁾ Dioecesanblatt a. 1876, pg. 78.

Concurrentes materiam in duas partes possunt distribuere, ita ut una pars contineat thelogiam fundamentalem ac dogmaticam, catechismum, cateheticam et paedagogicam, altera vero thelogiam moralem, liturgicam atque historiam ecclesiasticam.

Ex *omnibus materiis* quaestiones proponentur solvendae *viva voce*; solvendae vero *scripto* non proponentur nisi e *theologia fundamentali, dogmatica et morali*.

Concursus annuntiabitur *tempore*, quo pro munere catechetico vacante a gubernio concursus proclamatus fuerit, vel ad petitionem singulorum tempore ipsis opportuno.

Concurrentes *libellos supplices Ordinariatui* porrigent saltem *quindecim diebus ante examen* determinatum; libello accludent testimonium de absoluto examine maturitatis, testimonia theologica, et alia quoque de scientia generatim sibi comparata. Candidati significabunt, num pro scholis elementaribus, an pro paedagogio et pro scholis mediis approbationem appetant.

Tentamine feliciter superato competenti exarabitur testimonium approbationis pro illo genere scholarum, pro cuius approbatione examen subiit. Valorem vero habebit *ad quinquennium*; poterit vero *prolongari*, si candidatus quinquennio elapso probare potuerit, se hoc spatio studiis theologicis operam dedisse.

§. 5.

De parochio. ¹⁾

248. Parochorum officium et nobilissimum, et *maximi etiam momenti est, adeo, ut ex eorum idoneitate et sollicitudine magna ex parte salus populi christiani pendeat*. Et re quidem vera, nonne fere omnia, quaecunque in praecedentibus titulis tractabamus et statuimus, sive de educatione iuventutis, sive de cura pro populo, sive de vita sacerdotali, ad parochum pertinent, a quo sive immediate, sive mediantibus cooperatoribus in praxin deducantur?

¹⁾ Instr. Eystett. Tit. XIV. sect. II. cp. I. §. 1.; — Actiones et Constit. Syn. lavant. a. 1900, pg. 523 sqq. — Syn. Brixinensis pg. 127. sqq.

Quapropter *ex eius officiis* ea attingere et statuere volumus, quae ad *curam animarum fructuose obeundam principaliter pertinent.*

1. De cognitione ovium.

249. Curent parochi vigorem disciplinae ecclesiasticae in populo servare. Sub hoc respectu illis praesertim incumbit *vigilantia pastoralis, qua oves suas cognoscere earumque mores inspicere tenentur.* Ideo *parochis inculcamus:*

a) Parochus curet cognoscere *numerum* parochianorum, *communemque statum eorum quoad temporalia*, videlicet an maior pars sit dives an pauper, vel an sint aequaliter mixti; iuxta diversam enim conditionem diversimode in quibusdam agendum erit;

b) inquiret in *subditorum suorum indolem*, an nempe sint mitiores et monitis facile obtemperantes, an duriores et pervicaces, an generosi et hilares in explendis officiis, an segnes et abiecti;

c) dignoscat eorum *capacitatem et ingenium*, praecipue instructionem in rebus fidei, propensitatem ad vitia, et ad quaenam praesertim;

d) exploret *vitiorum radices et occasiones*, quales esse solent tabernae, choreae, conventicula clandestina, incuria parentum, iuniorum corruptores et malevoli excitatores, negligentia in suscipiendis Sacramentis, in audiendo sacro et similia;

e) praeter generalem hanc cognitionem *etiam specialem singulorum parochianorum* acquirere sibi parochus studebit, ut sciat, quos instruere, quos corrigere, quos reconciliare, quos consolari, quo iuvare, quos denique firmare debeat.

250. Quem scopum, ut attingat statim ac fuerit in parochiam introductus, *singulas familias successive visitandas aggrediatur*, et omni cum prudentia omissis interrogationibus nimis curiosis paterne singulos audiat, et omni partium studio aliorumque narrationibus postpositis suo officio fungatur.

Hanc *visitationem singulis annis vel saltem bienniis* tempore paschali peracto *renovet*, occasionem fortasse nactus ex colligendis testimoniis de confessione et communione paschali rite susceptis. Bene quoque aget, si *observationibus suis in libro proprio sedulo annotatis* suae et successorum utilitati inserviat.

2. De *vigilantia pastoralis*.

251. Ad curam animarum *vigilantia pastoralis absolute est necessaria*. Quemadmodum paterfamilias liberis suis, ita et parochus ovibus suis invigilare debet. Non arbitretur, se officio suo iam satisfecisse, si domi inclusus exspectet, ut ad ipsum veniant parochiani. Nam *illo domi manente inimicus per parochiam zizania seminabit*.

Haec autem *vigilantia sit universalis, constans et assidua*. *Universalis*, ut omnibus obveniat peccandi periculis, quibus maioribus maior quoque pastoris zelus correspondere debet; *constans*, ne zelus, quo fervebat primo parochiam ingrediens, postea remittatur et languescat; *assidua* denique, ut non modo tempore zeli inflammetur, sed etiam pari ratione ardorem suum in omnes officii partes diffundat.

252. Conetur *adiutores vigilantiae* suae sibi comparare. Fors absque magna difficultate inveniri poterunt honestae personae, quae illum discrete certiores reddant de *periculis morum*, quae in singulis pagis, etiam remotissimis, a pravis hominibus, a pravis diariis et libellis immineant, praecipue de *periculis, quibus iuventus exponitur* domi, in pascuis, in nocturnis laboribus, in montanis, in vineis.

Pastor vigilans *meditabitur de mediis*, quibus pericula amoveri, abusus aboleri, boni mores conservari possent; propterea meditabitur de sodalitatibus et associationibus sive piis, sive saecularibus, quae erigi debeant, ut mala et pericula sive omnino amoveantur, sive saltem imminuantur.

Parochus vigilans gaudebit, si cooperator zelosus sit et habilis ad laborem extra ecclesiam in variis coetibus iuvenum, agricolarum, opificum, prouti propter discrimina temporum ab Ecclesia commendantur.

3. *De residentia.*

253. Parochus post emissam professionem fidei legitime institutus et in possessionem sui beneficii introductus *intra fines parochiae suae et quidem in domo parochiali residere debet.*

Quamvis jura ¹⁾ extra causas publicae utilitatis vel gravis necessitatis *duos menses absentiae cum permissu Ordinarii* et substituto idoneo vicario permittant, tamen ultra hoc tempus absentiam suam absque speciali ad id licentia, non nisi ex gravi causa concedenda, protrahentes, graviter peccarent et poenas ecclesiasticas incurrerent.

Immo nos pericula animarum, quae ex absentia parochorum oriri possunt, cognoscentes, *statuimus, ne quis parochorum vel curatorum et administratorum pro arbitrio et inconsulto decano ultra tres dies et duas noctes, sive in suis, sive in aliorum negotiis, facta etiam debita substitutione vicarii, abesse possit; si necessitas abesse ad quindecim dies cogat, licentiam in scripto dabit decanus; si ad longius tempus, licentiam dabit Ordinarius, vel eiusdem Vicarius generalis.* Absentia autem nulli permittitur diebus solemnioribus anni, nec sine cognitione causae, nec sine vicarii idonei, a nobis approbandi, deputatione.

Caveant parochi, ne persaepe, etiamsi ad unum solummodo diem, e parochia discedentes officia sua negligant, vel parochianis suis sint molesti. Consultum erit, ut parochus, si ad breve tempus et aliquot horas e domo exeat, domesticis indicet, quo se conferat, ne, si subito parochianus illius ope indigeat, auxilio destituatur. *Quando parochus habet cooperatorem, uterque simul haud facile de parochia egrediatur, sed uno exeunte alter remaneat.*

254. Observationi harum legum *decani sedulo invigilent et negligentes moneant, non emendatos vero post trinam admonitionem nobis denuntient.*

¹⁾ Conc. Trident. sess. XXIII. de reform. c. 1.

Cap. VI.

De variis conferentiis sacerdotum.

255. Nemo inficiabitur, *conferentias cleri* ad disciplinam restaurandam vel roborandam summopere conferre. Quapropter *modum variarum conferentiarum cleri* vel collationum, prouti in dioecesi nostra institui iam solent, *sequentibus ordinationibus determinamus.*

§. 1.

De conferentiis decanorum.

256. Pius IX. episcopo Leodiensi concessit, ¹⁾ ut *in locum Synodi*, ad mentem Concilii Tridentini annuatim habendae, *decanorum congregatio institui posset.* Episcopis austriacis vero declaravit, ²⁾ se ad similes favores concedendos paratum esse, quoties eos singillatim postularent.

257. Perspicientes utilitatem, immo quamdam necessitatem talium conferentiarum, *ut sc. decani* magna experientia ditati et indigentias tum cleri, tum populi perspectas habentes *Ordinario in administranda dioecesi auxilio* forent, atque *ut uniformitas procedendi* in gravioribus dioecesis negotiis *per decanos universo clero insinuetur*, iam initio anni 1899 ³⁾ decanos ad conferentiam in nostris aedibus habendam invitavimus.

Valde gavisum sumus, cum in festo S. Leonis I. ⁴⁾ omnes decanos congregatos habuerimus atque cum illis negotia dioecesis gravissima tractare potuerimus. Conferentias inde convocare singulis annis consuevimus, ⁵⁾ et prouti omnibus notum est, non absque omnium nostrum utilitate. Proh

¹⁾ Indulto 2. Mai 1851.

²⁾ Brevi de 5. Nov. 1855.

³⁾ Škof. List a. 1899, pg. 28., 41.

⁴⁾ Ibid. pg. 65. sqq.

⁵⁾ Škof. List a. 1900, pg. 28., 39., 69. sqq.; a. 1901, pg. 56. sqq.; a. 1902, pg. 41. sqq.

dolor, quod anno currente decanos, licet desideraverimus, impediti laboribus ad praeparandam Synodum necessariis, convocare non potuimus.

258. *Statuimus* autem:

a) *Omnes decani* singulis annis vel peractis festis paschalibus, vel tempore autumnali in nostris aedibus ad conferentiam congregabuntur; qui aegritudine, senio vel alia iusta causa fuerint impediti, *substitutum* e parochis sui decanatus delegabunt;

b) *themata* discutienda a nobis iusto tempore publicabuntur, referentes quoque nominabuntur; *unicuique decanorum licet proponere quaestiones in conferentiis pertractandas*, si putaverit, id necessarium esse, vel saltem utile; quaestiones *saltem quatuordecim diebus ante diem conferentiarum scripto* nobis indicari debent;

c) quaestiones propositae sub praesidio nostro, vel, si impeditos nos esse contigerit, sub praesidio nostri Vicarii generalis tractabuntur ordine stabilito. Quilibet decanorum *libere* sententiam suam pandat, immo *sciat, se ad omnimodam veracitatem esse obligatum*.

§. 2.

De conferentiis pastoralibus.

259. *Conferentiae pastorales* a Summis Pontificibus inde ab antiquis temporibus laudabantur, immo praecipiebantur. Card. Prosper Lambertinus,¹⁾ post Pontifex Benedictus XIV. scribit, tales coetus maximo emolumento esse confessariis, eo quod casus morales in iis pertractentur; quapropter desiderat, ut quo frequentius celebrentur.

Concilium Romanum sub Benedicto XIII.²⁾ habitum, conferentias semel quavis hebdomada haberi voluit. Sacra Congregatio Concilii conferentias pastorales cunctis orbis catholici episcopis inculcare solet. Similiter Pius IX. epi-

¹⁾ Instit. synopsis 32.

²⁾ Anno 1725.

scopos Austriae ¹⁾ tum ad Synodos, tum ad collationes pastorales celebrandas hortabatur.

260. In dioecesi nostra demum anno 1875 ab illustrissimo episcopo Joanne Chrysostomo literis de die 14. Decembris ²⁾ praeceptae sunt, sed post biennium jam cessaverunt. Decreto immediati nostri Antecessoris, publicato in folio dioecesano a. 1890, ³⁾ conferentiae pastorales iterum ordinatae sunt, atque exinde jam quotannis celebrari solent

261. *Eum autem ob finem* conferentiae institui debent, ut sacerdotes sese invicem in excolendis scientiis necessariis adiuvent, statuta dioecesana intimius cognoscant et adimpleant, in praxi ministerii sacri uniformes fiant, exercitiis vitae clericalis ad suam ipsorum sanctificationem assuescant et sic pretiosa illa animorum unione iungantur, quam tantopere a Christo commendatam in Evangelio legimus.

Hisce vero conferentiis nulla competit auctoritas ad iudicium ferendum circa dogmata, mores vel disciplinam, nec ulla iurisdictio ad temperanda vel praetereunda mandata episcopi et statuta dioecesana; sed si quid difficultatis oriatur, vel utilia quaedam decernenda in rebus disciplinae videantur, haec ad nos referenda sunt.

262. De his conferentiis *statuimus*: ⁴⁾

a) Conferentiae semel quolibet anno habeantur, et quidem mense Junio vel Julio, die et hora a decano iusto tempore designato;

b) ad conferentias vocantur et venire obligantur omnes sacerdotes in cura animarum occupati, sive saeculares, sive regulares; qui venire impeditus fuerit, statim causam scripto pandat suo decano, qui simul cum reliquis actis rem ad Ordinariatum deferet, cuius erit diiudicare, num causa sit iusta;

¹⁾ Encycl. de 17. Martii 1856.

²⁾ Dioecesanblatt a. 1875, pg. 20.

³⁾ Dioecesanblatt a. 1890, pg. 15.

⁴⁾ Dioecesanblatt a. 1890, pg. 15. sqq.; Instr. Eystet. tit. XVII. cp. III. §. 1., 2.; Gesta et Statuta Synodi lavant. a. 1896, pg. 358 sqq.; Action. et Constit. Syn. lav. a. 1900, pg 546. sqq.

c) *themata* quolibet anno discutienda mense Januario vel Febuario in folio dioecetano publicabuntur; *scripto respondere obligantur* omnes sacerdotes constituti in cura animarum, qui a studiis theologicis absolutis *nondum sex annos compleverunt*. Si vero contigerit, nullum huiusmodi sacerdotem in decanatu esse, tunc ad elaborationem a *decano provocentur duo alii sacerdotes*, qui ceteris sunt iuniores; *desideramus* autem, ut etiam unus vel alter de non obligatis thema scripto exarare vellet. Dissertationes consulto uno alterove auctore probato solide et tam *praeclae* conscribantur, ut *intra horae quadrantem, vel saltem intra mediam horam* praelegi possint;

d) *themata* exarata *una hebdomada ante diem conferentiarum decano transmittantur*, qui decernet, cuius elaboratum in sessione praelegendum sit, et hoc modo fundamentum discussioni ponatur; decanus ex reliquis sacerdotibus designabit unum, cuius erit, de praelecto tractatu disserere eumque in trutinam revocare, cui hunc in finem, si possibile erit, tractatus aliquot diebus antea transmittatur; sed etiam ceteri ad censuram se praeparent;

e) congregatis in loco destinato omnibus, qui convenire debent, *decanus* qua praeses *conferentiam inchoabit* hymno „Veni Creator Spiritus!“ cum ¶. et Orat. „Deus, qui corda fidelium . . .“ et Ave Maria;

finita oratione omnes secundum ordinem consident; decanus iuniorem et magisabilem e praesentibus nominabit *notarium*, qui protocollum de actis in sessione conficiet;

tunc per quadrantem horae vel per mediam horam breviter praelegentur vel explicabuntur *decreta Ordinarii inde ab ultima sessione emissa*, vel vero *decreta huius Synodi* dioecetanae;

peracta hac lectione fit *transitus ad praefinitam materiam pertractandam*; qualibet dissertatione praelecta disquisitio fiat modeste et pacifice, habita reverentia senioribus sententiam suam proferentibus; decanus ordinem dirigit; unusquisque jus habet de re controversa mentem suam aperiendi;

discussione thematum finita, si tempus superest, quilibet *alias quaestiones* de rebus curae animarum, vel de quaestionibus difficilioribus sive socialibus, sive ecclesiasticis, quae fors actu urgent, proponere potest; si difficiliiores sunt, saltem octo diebus prius decano eas signabit, qui istas uni vel alteri e peritioribus sacerdotibus notificare potest, ut tempore conferentiae solutio facilius inveniatur;

sequitur *exercitium aliquod practicum* incipiendo a Missa privata, dein de Missa solemni, de functionibus parochialibus, v. g. in hebdomada maiori, vel administratione Sacramentorum; animadvertendum, singulos ritus per partes tantum, sed cum attentione exercendos vel saltem explicandos esse ab illo, quem praeses deputaverit, qui destinabit quoque quemdam ex sacerdotibus, qui animadvertat et admoneat, quatenus sunt corrigenda; impendatur huiusmodi exercitiis quadrans vel dimidium horae;

f) postremo omnes se conferant *in ecclesiam ad brevem adorationem Sanctissimi*, ubi ad finem recitentur Litaniae Ss. Cordis Jesu, dein Autiph. „Sub tuum praesidium“, cum orationibus pro Papa: „Omnipotens aeternae Deus“, pro Episcopo: „Deus omnium fidelium“, pro Congregatis: „Defende, quaesumus Domine“ (omnes inveniuntur inter orationes post Lit. omn. Sanctorum) et pro sacerdotibus defunctis, Ps. „De profundis“ cum oratione: „Deus, qui inter apostolicos sacerdotes“;

g) quibus omnibus finitis *protocollum*, in quo omnes participantes nominentur, conficitur; dissertationes exaratas et nominibus auctorum insignitas simul cum copia protocolli, in quo totus cursus conferentiae describitur, atque cum excusationibus absentium decanus ad Ordinariatum mittet, *quod saltem ante finem mensis Augusti fiat*; dissertationum ratio habebitur in prorogando valore examinis concursalis;

h) ¹⁾ conferentiarum occasione laici ne invitentur; prandium in domo parochiali sit frugale, neve longius protra-

¹⁾ Dioecesanblatt a. 1900, pg. 17. sqq.

hatur, ut, si opus fuerit, etiam posthac tempus sit ad communia consilia; vini modicus tantum sit usus; computationes, Deo sint gratiae, iam obsoletae sunt et nullibi parantur; interdicitur omnis lusus in domo parochiali sive alibi instituendus, sed conferentia finita omnes modeste ad sua redibunt;

j) expensas pro prandio aliasque quod attinet, decani eas sibi resarciri omnino ne abnuant; nimis enim grave hospitibus accidere deberet videre, sc. uni soli magnum imponi onus, quod divisum in plures a singulis non nimis sentitur.

Utinam conferentiae Deo dante qualibet vice omnibus in corde excitent sensum et persuasionem verborum S. Scripturae: „*Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!*“

§. 3.

De conferentiis Sodalitatis.

263. Devenimus ad „*Sodalitatem sacerdotum dioecesis Labacensis in honorem Ss. Cordis Jesu ad conservandum et promovendum spiritum sacerdotalem.*“ Quam Sodalitatem in *intimis visceribus nostris portamus* ideoque omnibus favoribus prosequimur; admonitiones, obsecrationes et decreta publicata in folio dioecesano id satis probant.

1. Observationes historicae.

Jam anno 1899¹⁾ discussionem de hac Sodalitate in prima conferentia decanorum habita Labaci procuravimus eiusdemque organizationem firmiter ordinavimus.

Litteris pastoralibus datis ad Clerum anno 1900²⁾ progressum significare atque themata in conferentiis pertractata promulgare potuimus; insuper novum campum studiis pernecessariis de quaestione sociali excolendum proposuimus et modum in conferentiis observandum praescripsimus. De

¹⁾ Škof. List a. 1899, pg. 70., 72.

²⁾ Škof. List a. 1900, pg. 26. sqq.

qua organizatione in honorem Ss. Cordis Jesu in sessione decanorum eiusdem anni ¹⁾ peroratio longior habita fuit.

Decurrente annò 1900 Sodalitas nova incrementa cepit; maior numerus sacerdotum nomen illi dedit, in novisque decanatibus conferentiae haberi coeperunt, quod litteris pastoralibus datis ad Clerum ineunte anno 1901 omnibus notum facere non tardavimus. Approbavimus quoque usum hinc inde inventum, quod singulae conferentiae in variis domibus parochialibus habeantur. ²⁾

In relatione de actionibus huius Sodalitatis decurrente anno 1901 provocantes ad themata, quae in conferentiis discutebantur, magnum huius Sodalitatis fructum signavimus; insuper cum gaudio retulimus, omnes fere sacerdotes Sodalitati nomen dedisse. ³⁾

Neque decurrente anno 1902 fervor in cordibus sodalium fuit imminutus, prouti relatio de eiusdem gestis ⁴⁾ concludere cogit. Confidimus in Cor Jesu, quod fornax est ardens caritatis, fons vitae et sanctitatis, atque dives in omnes, qui invocant Illud, fore ut Sodalitas sacerdotum in honorem Ejusdem nunquam exspiret, sed vita ex divino Corde uberime in sodales emanante semper vivat atque floreat, nec non fructus laetissimos producat.

2. *Finis Sodalitatis.*

264. *Finis Sodalitatis* sacerdotum in honorem Ss. Cordis Jesu is est, ut *periculis occurratur, quibus sacerdotes saeculares* in quotidiano suo cum omnis generis hominibus commercio non parum *exponuntur*: periculis sc., ne spiritum mundi paulatim sibi faciant proprium.

Cuius quidem *periculi caput in quadam solitudine spirituali situm est*. Dum enim homines laici in sacerdotibus adminiculum sibi inveniunt, regulares in confratribus suis, sacerdotes saeculares in omnibus fere sibi relinquuntur,

¹⁾ Škof. List a. 1900, pg. 71, 72.

²⁾ Škof. List a. 1901, pg. 21. sqq.

³⁾ Škof. List a. 1902, pg. 56. sqq.

⁴⁾ Škof. List a. 1903, pg. 79. sqq.

proptereaque plus ceteris illud S. Scripturae in se experiri debent: „Vae soli; cum ceciderit, non habet sublevantem se.“ 1)

Cui difficultati periculisque inde enascentibus facillime efficacissimeque occurri posse videtur, si *sacerdotes speciali ad hoc Sodalitate inter se coniunguntur*.

Et re quidem vera, si Spiritus S. dicit: „Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum,“ 2) quantum munimen, quantumque thesaurum praeberi putamus intima coniunctione amicorum, qui corde uno et anima una in eundem tendant praefixum sibi sublimem pulcherrimumque finem?

Quae omnia profecto suadent, *ut sacerdotes quasi triplici vinculo: orationis, exempli mutuaeque exhortationis inter se devinciuntur*, quo melius Dei honorem, suamque ipsorum integritatem, perfectionem et salutem aeternam promovere et id assequi valeant, ut „in omnibus se ipsos praebeant exemplum bonorum operum, forma facti gregis ex animo.“ 3)

3. Regulae Sodalitatis.

265. Regulae Sodalitatis 4) *intendunt*, ope specialium gratiarum e divino Corde Jesu et mutuis adhortationibus sacerdotes ad omnia exercitia pietatis et omnes virtutes vere sacerdotales accendere et ad perfectionem promovere ac perducere.

Singuli sibi relictis, prouti in nostra dioecesi propter multas parochias cum unico sacerdote saepius occurrit, facile deficere, ad tepiditatem, immo ad vitam omnino mundanam prolabi possunt. Quam ob rem iam multa de educatione sacerdotum, de eorum pietate, virtutibus et muneribus protulimus et statuimus. Ast valde timendum, ne litterae mortuae maneant et Synodus effectum frustretur. Nam compertum habemus et haud negamus, necessaria esse sacerdoti *media*

1) Eccle. 4., 10.

2) Eccli. 6., 4.

3) Cf. Tit. 3., 7.; I. Petri 5., 3.

4) Typis impressae habentur apud praesidem generalem.

extraordinaria gratiarum eum in finem, ut tam sancte vivere, tot et tantas virtutes exercere, oblectamenta sensibus tam iucunda vitare, tam gravia officiorum onera sustinere, semetque totum pro Deo et populo impendere vellet et posset, prouti sublimi eiusdem vocatione ab illo requiritur.

Jam ecce, *talia extraordinaria adiumenta praesto illi sunt in Ss. Corde Jesu, quod dives est in omnes, qui invocant Illud.* Ad talem autem invocationem incenduntur sacerdotes in hac utilissima Sodalitate, quae statutis suis nihil aliud proponit observandum, quam quod haec quoque Synodus omnibus sacerdotibus proposuit. Ex divino Corde Jesu lumen emanabit, ut necessitas talis vitae perspiciatur, atque robur, ut talis vita possibilis quoque evadat.

266. *At non solum pietas, sed scientia quoque theologica et socialis* vi huius Sodalitatis in sacerdotibus facili modo promovebitur. Referentes idonei constituentur v. g. pro quaestione sociali, qui illius studio incumbant et dein in singulis conferentiis systematice sodalibus eam proponant; idem observetur v. g. pro aliquo tractatu magis necessario e theologia dogmatica, e morali, e pastoralis, e catechetica, e liturgia vel ascesi. Sodales multum proficient et ipsi quoque ad studia magis adhuc inflammabuntur. Id quoque valet de quaestionibus actualibus, quae populum perturbant; consociatis consiliis sodales facile de eodem modo procedendi convenient.

267. *Unitas quoque sacerdotibus tam necessaria fovebitur atque in dies magis solidabitur.* Quaesumus, nonne huic Sodalitati unitae in Ss. Corde Jesu illam unitatem, illam fraternam caritatem debemus, quae nostris diebus totum clerum dioecesis in unum corpus colligatum tenet? Et unde vita inter sacerdotes purior, sanctior, unde cor ad tot sacrificia paratum, unde illa inaudita constantia et fortitudo in organizatione populi cum religiosa tum temporali cum religiosa intime coniuncta? Nonne ex Ss. Corde Jesu, cui Sodales amore copulantur?

Quapropter *de organizatione et conferentiis Sodalitatis statuimus:*

4. Organizatio Sodalitatis.

268. a) Sodalitatis *protector est ipse Ordinarius*, cui subest praeses, a vicepraesidibus per vota discreta directe ad episcopum missa eligendus et *ab episcopo ad triennium, vel certe non ultra quinquennium confirmandus*;

b) praesidi assistunt *vicepraesides*; in quolibet decanatu eligitur unus a sodalibus; si vero sodales persuasi forent de utilitate divisionis decanatus in duas Sodalitates cum propriis praesidibus, conferentiae praesidi generali votum suum notum facient, qui inde de necessariis providebit; suadetur, ut *eligatur ille pro vicepraeside, qui praeceteris aptus et habilis est ad conferentias dirigendas et ad vitam in Sodalitate fovendam*; vicepraesides *confirmantur a praeside ad triennium, vel certe non ultra quinquennium*;

c) episcopo liberum erit, etiam durante triennio resp. quinquennio, si illi visum fuerit in Domino, aliter disporre de praeside et vicepraesidibus;

d) vicepraesides *curabunt*, ut regulae Sodalitatis ab omnibus observentur, ut conferentiae tempore et modo praescripto celebrentur, ut protocolla de conferentiis a *notario ab ipsis electo* conficiantur atque ut *quolibet semestri* prospectus tum conferentiarum tum materiarum, quae pertractabantur, ad praesidem expediantur, qui in *folio dioecesano* actiones singularum conferentiarum publicabit.

5. Conferentiae Sodalitatis.

269. *Conferentiae* Sodalitatum sint loco conferentiarum pastoralium, quae ex voluntate Ecclesiae saepius convocari deberent; finis vero conferentiarum est:

a) Ut, quae sodales de occurrentibus variis rebus ascesis, vel pastorationis, de litterariis, religiosis aliisque eiusdem generis quaestionibus actu animos moventibus sentiant, sibi communicent seseque invicem instruant. *Summopere desideramus, ut ea, quae haec Synodus de educatione iuventutis, de vita populi et cleri constituit atque*

determinavit, in istis conferentiis ab initio usque ad finem legantur atque modus discutiatur, quo in practicam vitam deduci possint; idem valet de quaestione sociali;

b) ut sive de communibus, sive de privatis rebus consilia conferantur; ut sodales se invicem exhortentur et ad bona quaeque excitent v. gr. per brevem exhortationem vicepraesidis; atque ut modesto et fraterno modo sese invicem corrigant, quoad ea, quae v. gr. contra rubricas peccant, vel in sermonibus publicis minus recte dicunt, vel forsitan populo scandalum praebent etc.;

c) ut facilius occasionem habeant, sanctam confessionem peragendi.

270. Conferentiae celebrentur sequenti modo:

a) Statuto die et statuta hora omnes sodales in ecclesiam se conferant, ubi coram exposito Sanctissimo adorationem per horae quadrantem in silentio peragant; deinde recitentur Litaniae Ss. Cordis Jesu cum oratione consecratoria; in fine detur benedictio ritu romano;

b) in aedibus parochialibus conferentia initium sumit cum lectione parvae partis statutorum, quae ita seligatur, ut decursu unius anni statuta ad finem perlegi possint; deinde legatur pars constitutionum Synodi per mediam horam; sequitur tractatus de quaestione sociali, vel theologica, vel ascetica; ad finem moveatur quaestio de rebus actualibus solvanturque varii casus dubii vel complexi, qui a sodalibus ex eorum pastoratione proferuntur;

c) absolutis discussionibus determinantur themata, referentes, dies, locus et hora pro sequenti conferentia;

d) a notario conficiatur protocollum ab omnibus subscribendum;

e) sequitur honesta recreatio atque exhilaratio in Domino.

Praesidem, vicepraesides atque sodales commendamus Ss. Cordi Jesu Illud obsecrantes, ut suo amore omnes adimpleat, caritate ad invicem coniungat atque corroboret ad omnia sacrificia in cura animarum necessaria.

§. 4.

De conversatione sacerdotum, praeprimis conterminorum.¹⁾

271. Cum caritas sit vinculum perfectionis, ad quam omnes tendere tenentur, hinc enixe rogamus ac petimus, ut illa Summi Sacerdotis Jesu oratio inter nostros sacerdotes semper et ubique verificetur: „ut omnes unum sint.“²⁾

Obsecramus autem omnes sacerdotes nostros, ut servant eam, quam Christus reliquit nobis pacem, ut caveant ab omni invidia, dissensione atque detractioe, ut potius mutuos defectus ferant patienter et alto silentio contegant, corrigentes nonnisi in spiritu caritatis et iuxta legem a Christo pro correptione fratris praescriptam.

Nonnulli hac in re decipiuntur, dum *detrahentes* aliis censent, se culpa vacare, quasi detractioe peccatum illos non attingeret; *corrigere* autem fratres suos corripiendo eorum defectus in spiritu caritatis coram se aut coram superioribus tamquam aliquid abominabile recusant!

272. Scimus et iam diximus, sacerdoti quoque iucundum, immo necessarium esse amicos habere, quos frequentet et quibus cor suum revelet; amicos ergo sibi eligat, sed tales, quos viderit sectatores virtutis et amatores disciplinae. Devitet vero, si qui, quod Deus avertat, existant sacerdotes aperte mali, „qui iuxta s. Carolum Borromaeum *non modo bonum ipsi facere nolunt, sed ab eo detrahunt ceteros*“³⁾ dicentes: quid facitis? ad quid tot reformationes, tot constitutiones et statuta? Vae huiusmodi sacerdotibus! Falsi fratres sunt, qui alios aut seducunt, aut eorum fidelitatem derident, aut ad vitam otiosam cum animae periculo eos perducunt.“

273. Praeprimis decet, concordēs esse animos eorum sacerdotum, qui *ecclesiis conterminis praesunt*. Quae concordia non modo in officiis amicitiae et caritatis fraternae

¹⁾ Instr. Eystett. tit. XIII., cp. VIII., §. 1., 2., Škof. List a. 1902, pg. 27. sqq.

²⁾ Joan. 17., 21.

eluceat, sed etiam in praxi rerum spiritualium per sententiarum unitatem resplendeat.

Itaque quilibet *pastor confratrem suum modo hunc modo illum invisere studeat*, vel etiam plures *contermini inter se convenient*, ut inde omnium animorum cernatur et firmetur concordia.

Attamen in huiusmodi coetibus per domos parochiales habendis nedum de rebus solummodo temporalibus, verum etiam de spiritualibus, utpote de recta parochiae regendae ratione, de tollendis abusibus piisque exercitiis introducendis et de reliquis ad perennem fidelium suorum salutem spectantibus disserere gestient, ut ex hisce collationibus familiaribus animarum quoque lucrum eveniat.

274. Nullus vero curatorum in res se immisceat, quae ad parochi contermini sollicitudinem spectant; nihil nec cum suis, nec cum alienis parochianis de bona vel mala praxi alterius parochiae eiusque pastoris agat, sed potius praxin bonam imitari, malam per eos sanari studeat, quibus huiusmodi onus incumbit. Nam etiam *ex zelo intempestivo similitates et rixae oriri* solent, cum tamen omnes curatorum animos vinculum pacis et unitatis coniungere adeoque tantum abesse debeat, ut quis similitates foveat, ut potius omni modo eas inter fratres exstinguat.

Cap. VII.

De visitatione canonica.

275. Infirmitas humana tanta est, ut homo cito et facile ad deteriora prolabor, atque immemor suae vocationis etiam officia sanctissima negligat. Ad succurrendum huic infirmitati, qua sacerdotes quoque laboramus, sapienter institutum fuit, ut a *visitatione canonica saepius peragenda* negligentiae et omissiones in universa cura animarum vel praecaveantur vel reparentur.

Quia, prouti patet, visitatio canonica nervus est disciplinae ecclesiasticae, obligamur, *ordinationes de illa iam*

datas approbare et sancire, atque, ubi necessarium fuerit, magis perficere.

§. 1.

De decano et visitatione decanali.¹⁾

276. Inter episcoporum adiutores, qui per minores dioecesis regiones dispositi curam animarum exercent, *eminent decani*. Horum officium est: episcopum in fide catholica defendenda et roboranda, in disciplina ecclesiastica conservanda, in errorum correctione et defectuum emendatione adiuvere; quapropter decani quasi oculi et aures et calamus episcopi nuncupari solent.

Oportet ergo, ut de eorum *officiis et iuribus, praeprimis de visitatione ab ipsis peragenda* necessaria statuamus.

1. Officia et iura decanorum.

277. Officia et iura decanorum sunt sequentia:

1. *Inspicere* vitam, mores laboresque clericorum sui *decanatus* eosque, si opus est, *hortari*, ut legibus tum communibus, tum dioecesanis obsequantur; delinquentes vel negligentes fraterne *monere*, non obedientes et contumaces tempore opportuno *ad episcopum deferre*;

2. *invigilare*, ne in decanatum irrepant *abusus* vel *dissidia*; si vero irrepserint, ea *extirpare*; *accusationes* et *dissidia inter laicos et sacerdotes* summa prudentia ex aequo et bono animo componere, caventes, ne inaudita altera parte quidquam decernant, ne ad aures Ordinariatus deferant res non satis investigatas, ne de auctoritate sacerdotum leviter quid detrahatur;

3. de omnibus *rebus gravioribus episcopum certiore reddere*, eius mandata et ordinationes cum clero communicare et vicissim petitiones, relationes et gravamina cleri, adiuncta, si opus fuerit, sua opinione, episcopo transmittere, *exceptis petitionibus stricte personalibus vel conscientiosis*,

¹⁾ Dioecesanblatt a. 1882, pg. 1.—11.; Gesta et Statuta Syn. dioec. lavant. a. 1896, pg. 374. sq., Acta et Stat. Syn. dioec. Premisl. a. 1902, pg. 230 sqq.

nec non precibus pro obtinendis dispensationibus matrimonialibus; item procurare, ut res ab Ordinariatu requisitae tempore praescripto effectui dentur;

4. inspicere administrationem bonorum ecclesiasticorum atque foundationum piarum; rationes annuas revidere et examinare, atque appposito suo iudicio ad Ordinariatum dirigere; investigare, num adsit liber foundationum, intentionum Missarum, reddituum et expensarum; inquirere, ubi pecunia ecclesiastica sit collocata, an modo a legibus praescripto; indagare, an de substantia bonorum ecclesiae vel beneficii quid perierit; an vitrici ecclesiae de administratione et statu horum bonorum sufficienter instructi sint;

5. revidere copias matricularum baptizatorum, copulatorum, nec non defunctorum, conferre cum originali et ad finem Januarii cuiuslibet anni ad Ordinariatum mittere; item corroborare elenchos parochorum et provisorum iura stolae piasque foundationes concernentes, quae fassioni beneficiorum et rationibus intercalaribus apponi debent;

6. praesidere conferentiis pastoralibus atque thematum casuumque discussionem dirigere; protocollum desuper concinnatum apposis elaboratis nec non sua relatione ad Ordinariatum statim vel saltem ad finem mensis Augusti deferre;

7. invigilare instructioni et educationi iuventutis in scholis elementaribus quoad religionem catholicam; pervestigare, num catechetae modo praescripto procedant tum quoad distributionem materiae per singulas classes, tum quoad educationem, quoad praeparationem ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, quoad frequentiam Sacramentorum, quoad praecipuam curam pro iuvenibus; inspicere in consignationem materiae singulis horis iam absolutae; conficere desuper specialem relationem eamque simul cum illa de visitatione saltem usque ad finem mensis Octobris ad Ordinariatum transmittre;

8. visitare quolibet anno ecclesias curatas sui districtus et quidem ordinarie solemni modo et omnes, si numerum duodecim non excedunt, secus saltem mediam partem, ita, ut quolibet secundo anno omnes visitentur; visitare quoque

ecclesias filiales saltem semel in quinquennio; si vero opportunum visum fuerit, visitare parochias pluries absque solemnitatibus praescriptis; *conficere relationem de visitatione peracta et saltem usque ad finem Octobris ad Ordinariatum dirigere*; a qua visitatione eximuntur: *a)* rev. Abbatia Cisterciensium, quae immediate Ordinario subiecta sit; *b)* parochiae in urbe Ljubljana, quae visitationi archidiaconi constituti pro archidiaconatu Labacensi subiiciuntur;

9. *introducere* parochos in muneris ipsis commissi administrationem, nec non invitato patrono et vitricis ecclesiae in bonorum temporalium possessionem; exaretur in duplo protocollum de bonis commissis; unum neoconstituto parochos praesentibus testibus vitricis tradat et desuper Ordinariatum apposito altero protocollo certiore faciat;

10. *visitare parochos et alios sacerdotes sui districtus morbo periculoso laborantes*, eis fraternam curam impendere eosque hortari, ut mature Sacramentis provideantur atque iuxta leges ecclesiasticas de bonis suis disponant, imprimis quod attinet stipendia Missarum nondum persolutarum.

11. *conducere funeralia* parochorum defunctorum; una cum notario obsignationem rerum relictarum procurare, ut scilicet documenta parochiam et foundationes pias concernentia, veluti instrumenta fundamentalia, syngraphae, libri matriculares, protocolla et alia in tuto collocentur, res fundi instructi a peculio defuncti segregentur, defectus in fundo instructo, peculio ecclesiae, vel stipendiis Missarum sive fundatarum sive manualium inventi e proprietate defuncti compensentur, qua de re protocollum conficiatur;

12. *providere ecclesiae viduatae*, ac invitato patrono et vitricis ecclesiae protocollum de bonis ecclesiae et beneficii diligenter conficere; in hoc protocollo respectu habito ad inventarium consignet: rationem bonorum ecclesiae ultimi anni, alias adnotationes defuncti parochi, documenta parochiam et foundationes pias tangentia, signanter instrumenta foundationis et syngraphas, item protocolla et matriculas ecclesiae, nec non omnia, quae ad iura et officia pertinent;

deinde *arcam* ecclesiasticam et fundationum piarum in praesentia vitricorum ecclesiae et constituti administratoris parochiae revidere, et integram summam deductis stipendiis Missarum non persolutarum constituto administratori exhibere; *protocollum* hoc, adposita adnotatione de statu agrorum, vinearum et silvarum, ecclesiae et beneficii requisito desuper maturo iudicio virorum peritorum in duplo exarare, quorum unum reservetur, aliud autem apposita relatione decani ad Ordinariatum dirigatur;

13. *nuntiare Ordinariatui ingressum in curam pastorem cuiuscumque sacerdotis, etiam cooperatorum, vel egressum eorum;*

14. *habere archivum decanale* ab archivo pastoralis distinctum, in quo registeria decanalia, relationes status ecclesiarum, acta et documenta ad decanatus administrationem pertinentia, una cum scriptis ab Ordinariatu acceptis, aut de illuc missis concepta diligenter asserventur;

15. *distribuere Olea sacra* tempore prius accurate determinato aut in sacristia aut in alio loco decenter ornato; cui interesse tenentur viri graves ad id deputati cum litteris a parocho exaratis, quibus sacra Olea petant; decanus sacros liquores distribuit superpelliceo et stola indutus, duobus cereis accensis; *laicis cursoribus pyxis sigillo munita genuflectentibus imponatur, qui eam reverenter et sine mora ad suum locum servatis legitimis consuetudinibus deferant; parochi decanatus Labacensis sacra Olea directe ab Ordinariatu accipient;*

16. *parochos ceterosque animarum curatores hortari ad pia opera*, quae ab Ordinariatu commendantur v. g. collectae pro Pontifice, pro missionibus, pro novis institutis cum gymnasio, et curare, ut collectae statuto tempore ad locum praefinitum deferantur.

278. *Ut meliori regimini dioecesis provideatur, conceditur decano facultas:*

1. *Absolvendi a casibus nobis reservatis;*

2. *restituendi ius petendi debitum coniugale;*

3. dispensandi ^{et} a *bannis in periculo mortis* praemisso iuramento, quod matrimonio nullum impedimentum, in quantum notum est, obstat; quae dispensatio scripto concedatur, provocatione facta ad hanc facultatem ab Ordinario obtentam;

4. dispensandi ab *una promulgatione* nuptiarum;

5. *dandi* licentiam abscedendi a residentia et quidem parochis per quindecim, cooperatoribus per octo dies;

6. *benedicendi* infra ambitum sui districtus paramenta ecclesiastica, ecclesias, capellas, coemeteria, imagines et cruces (cum publica processione);

7. conceditur *gratia*, ut in decessione decani ex hac vita in omnibus ecclesiis decanatus per dimidiam horam omnibus pulsetur campanis.

279. Cum ergo decani vicarii episcopi censendi sint, omnes sacerdotes, ministri ecclesiastici ac fideles sancte obstringuntur, ut constitutos decanos qua superiores suos agnoscant, eisque debitam reverentiam exhibeant.

Vicissim et meminerint decani, se esse in episcopalis muneris partem vocatos, quapropter presbyteros obsecrent ut patres, moneant ut filios, arguant ut subditos, prouti in Domino iudicabunt, nec terminos auctoritatis sibi concessae excedant. Decani tamquam seniores in districtu suo „pascant gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum . . ., neque ut dominatores in clero, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit Princeps pastorum, percipient immarcescibilem gloriae coronam.“¹⁾

2. Ordo visitationis.²⁾ *ne natankho.*

280. De ordine solemnisi visitationis statuimus;

a) Decanus *visitationem* parochi vel rectori ecclesiae saltem quindecim diebus antea scripto nuntiabit, monendo ipsum, ut proximo tempore e suggestu post concionem populum de adventu decani certiore faciat;

1) I. Petr. 5. 2.—4.

2) Dioecesanblatt a. 1882, pg. 5. — Gesta et Stat. Syn. Lavant. a. 1896, pg. 377. sqq.

b) decano adventante hora, quae iam prius praecise fuit determinata, *campanae pulsantur*; *parochus cum cooperatoribus*, si qui sunt, stola et superpelliceo ipse, superpelliceis tantum ceteri induti, eum *ad ecclesiae ostium ex-cipient*; accepto aspersorio decanus se et alios aspergit aqua benedicta;

c) tum decanus *ad altare maius* deducitur; facta brevi adoratione Sanctissimi *in sacristiam* se confert, ubi, si hora antemeridiana advenerit ipseque voluerit celebrare, paretur pro Missa; secus superpelliceum stolamque sumet et Missae a parocho celebrandae intersit; post Missam, vel si hora pomeridiana venerit, statim tunc Ss. Sacramentum a parocho exponatur deturque benedictio ritu romano; tunc Sanctissimum reponitur, qua occasione decanus diligenter visitet ostensorium, pyxidem et tabernaculum;

d) paramentis depositis et gratiarum actione peracta *visitabit decanus superpelliceo indutus ecclesiam*, uti altaria, ss. Olea, baptisterium, sacrarium, confessionalia, sedilia, organum, omnemque ecclesiae apparatus;

e) hoc absoluto negotio cum populo pias preces fundente *coemeterium* adibit, cum aliis, si adsunt, sacerdotibus, postquam incoepit Antiphonam: „Si iniquitates“ recitat Ps.: „De profundis“, ut habetur in Rituali. Quibus dictis cum pervenerit ad maiorem crucem in coemeterio locatam, subsistunt omnes et chorus cantat Resp.: „Libera me Domine“ cum V. et B. praescriptis; dein visitabit coemeterium;

si autem coemeterium longius distet, vel inclementia coeli non concedat exitum, praedicta fiant in ecclesia ad tumbam ibidem erectam; coemeterium autem tempore opportuno absque populi praesentia visitabit;

f) redux in ecclesiam deponat superpelliceum atque totam *fabricam* attente examinet; ^{postquam}

g) deinde *domum parochialem* cum reliquis aedificiis oeconomicis visitet, inquirens an reparationibus minoribus debite sit provisum, an maiores quaedam requirantur; an bona beneficii iuxta sanctiones ecclesiasticas administrentur, quantum res sinant, exploret;

dein, parrocho et vitricis advocatis, perquirat, quae ad administrationem bonorum ecclesiae pertinent, inspiciat libros, archivum cum libris parochialibus et documentis, audiat sacerdotes, investiget necessaria de aedituo, ministrantibus et organoedo et vota eorum, qui praesentari cupiunt, excipiat;

h) tempore iam prius cum rectore scholae determinato perget decanus in scholam, ubi persuasionem nancisci studeat, utrum institutio iuventutis et educatio ita foveatur, prouti Synodus diocesana praescripserit; ut vero decanus methodum catechetae cognoscat, num conveniens sit, an non, suadetur catechetae iniungere, ut thema pro illa hora destinatum modo consueto parvulis explicet; relatio desuper fiat separate, prouti iam monuimus;

j) visitatione peracta, tum decanus tum parochus et reliqui sacerdotes ecclesiam intrabunt, ubi decanus post adorationem Sanctissimi recitabit Ps.: „De profundis“ cum oratione pro omnibus fidelibus defunctis;

k) decano debetur portio canonica secundum consuetudinem iam vigentem, cavendum est tamen, ne haec visitatio lautis conviviis occasionem praebeat;

l) decanus de omni visitationis negotio fideliter referat ad Ordinariatum; si prudentia suadeat, ut opinio eiusdem de aliquo sacerdote maneret occulta, exprimatur in folio separato ad episcopum immediate dirigendo; haec relatio fiat saltem usque ad finem mensis Octobris.

3. Obiectum visitationis. *ni. ni.!*

281. In antecedentibus obiectum visitationis jam sufficienter designatum est. Desideramus autem, ut decanus prae omnibus specialiter inquirat, utrum executioni mandata sint decreta huius Synodi, quae agunt:

a) De educatione et instructione catechetica iuventutis, de praeparatione parvulorum ad primam confessionem et primam communionem;

b) de *cura pro iuvenibus et puellis* statim post dimissionem e schola elementari, praecipue de mediis observandis, ne incidant in occasiones peccatorum proximas;

c) de *frequentia Sacramentorum*, de studio et conamine alliciendi ad Sacramenta viros et iuvenes; de *cultu* Ss. Eucharistiae et Ss. Cordis Jesu;

d) de *congregationibus Marianis*, de cura, ne suscipiantur indigni, de conventibus mensualibus et susceptione Sacramentorum;

e) de speciali cura *pro iuvenibus ope associationum*;

f) de *conatu contra alcoholum*;

g) de *vigilia parochi* quoad pravas vel periculosas occasiones in parochia, quoad seductores, quoad ephemerides, quoad noxia oblectamenta occasione variarum sollemnitatum, quae v. g. a profanis coetibus, vel a circumvagantibus variis artificibus ludo scenico parantur;

h) de *vita et honestate sacerdotum*, de virtute castitatis, de sobrietate, de prohibitis negotiis et oblectamentis saecularibus, de residentia, de confessario, de concionatore;

j) de *relatione* inter parochum et cooperatorem, de famulatio parochi;

k) de *conferentiis Sodalitatis* Ss. Cordis Jesu;

l) de *vita ecclesiastica*, politico-ecclesiastica et sociali in parochia.

Cognitum nobis est, opus visitationis valde molestum esse, ast decani illud nihilominus ex amore Dei et populi nostri conscientiose persolvere non cunctabuntur.

§. 2.

De archidiacono et visitatione archidiaconali.

282. Propter negotia ecclesiastica, quae in dies augentur, facilius expedienda, *dioecesin Labacensem in quinque archidiaconatus divisimus*,¹⁾ quibus singulis archidiaconos praeposuimus.

¹⁾ Škof. List a. 1901, pg. 59. sqq. et pg. 89. sqq.

1. Archidiaconatus.

283. Archidiaconatus sunt sequentes:

1. Archidiaconatus Labacensis, qui complectitur urbem Ljubljana cum parochiis ad *S. Nicolaum*, ad *S. Jacobum*, ad *S. Petrum*, ad *S. Joannem Bapt. et Annautiationis Beatae Mariae Virginis*, quae a iurisdictione decani eximuntur, et iurisdictioni archidiaconi subiiciuntur;

2. Archidiaconatus Carnioliae superioris, qui complectitur decanatus: *Radolica*, *Kranj*, *Kamnik*, *Loka*;

3. Archidiaconatus Carnioliae interioris, qui complectitur decanatus: *Cirknica*, *Idrija*, *Postojna*, *Ribnica*, *Trnovo*, *Vipava*;

4. Archidiaconatus Carnioliae centralis, qui complectitur decanatus: *Ljubljana (excepta urbe)*, *Litija*, *Moravče*, *Šmarije*, *Vrhnika*;

5. Archidiaconatus Carnioliae inferioris, qui complectitur decanatus: *Kočevje*, *Leskovec*, *Novo Mesto*, *Semič*, *Trebnje*, *Žužemberk*.

2. Officia archidiaconorum.

284. Archidiaconi, electi ab Ordinario e canonicis ecclesiae cathedralis, deputantur ad sequentia officia:

a) *Ad visitationem decanorum*, et quidem quoad officia eorum parochialia et decanalia; ab hac personali visitatione eximitur propter praelaturam Praepositus capituli de Novo Mesto, qui immediate episcopo subiicitur;

b) *ad conspectum et iudicium de relationibus visitationis* factae a decano per suum districtum; quod iudicium simul cum proposita resolutione et responsione ad decanum substernent Ordinariatus, quo citius fieri potest postquam relatio in eorum manus devenerit, saltem usque ad 15. Decembris;

c) *ad conspectum et iudicium de relationibus exhibitis a decanis quoad conferentias pastorales*, themata pertractata et propositiones vel petitiones ad Ordinariatum delatas; huic oneri saltem usque ad finem Novembris satisfacere satagent;

(d) ad relationes de actione religiosa, sociali et ecclesiastico-politica in ambitu archidiaconatus, in quantum ipsis pro meliori administratione dioecesis visum fuerit aliquid proponere, monere, dissuadere.)

3. Visitatio archidiaconalis.

285. Visitatio fiat singulis annis quoad omnes decanatus, exceptis illis, ubi episcopus decursu illius anni visitationem peregit. Quae visitatio fiat absque strepitu et solemnitatibus; tantummodo vitrici ecclesiae parochialis et ecclesiarum filialium adsint propter revisionem administrationis bonorum ecclesiasticorum.

Obiectum visitationis idem est, ac in visitatione decanali: ecclesia cum omni apparatu, aedificia parochialia et oeconomica, bona ecclesiastica et beneficialia, archivum parochiale et decanale cum omnibus actis et libris, persona decani et cooperatorum, famulitium, obligationes tam parochiales, quam decanales; vita religiosa populi, imprimis cultus S. Eucharistiae, Ss. Cordis Jesu, congregationes Marianae, coetus iuvenum, missiones, frequentia Sacramentorum, pericula peccatorum, intemperantia.

§. 3.

De episcopo eiusque visitatione canonica.

286. Reliquum est, ud ad finem etiam de episcopo aliqua saltem proferamus. Ceteris omissis solummodo de necessitate, obiecto et ordine visitationis ab ipso peragendae informare clerum intendimus.

1. De necessitate visitationis.

287. *Difficillima onera* imposita sunt episcopo, qui „a Spiritu Sancto positus est regere Ecclesiam Dei, quam Christus suo sanguine acquisivit.“ ¹⁾ De hoc regimine et de cura animarum ipsi commissa *severam redditurus est rationem* coram Iudice omniscio, sancto, iusto et omnipotente.

¹⁾ Act. ap. 20., 28.

Regimen vero ecclesiasticum ab episcopo praecipue *ope cleri* exercetur. Quare imprimis pro *educatione cleri* secundum Cor Jesu episcopus sollicitus sit oportet. Illuc tendunt omnes instructiones et ordinationes, quas decursu huius tituli de clero eiusque vita sacerdotali et pastoralis statuimus.

Ope cleri spiritu sacerdotali imbuti episcopus haud difficulter populum in via salutis ad aeternam beatitudinem ducere poterit. Nam clerus vocationis suae conscius omnes illos labores libenter in se suscipiet, qui pro temporum circumstantiis ad populi salutem necessarij videntur, properabitque executioni dare ordinationes, quas Ordinarius iudicaverit opportunas.

In *clero prae ceteris decani eminent*, qui sua cura pro decanatu, pro conferentiis, pro catechesi, pro observatione ordinationum episcopalium, imprimis sua visitatione et relatione ad episcopum, si illam rite peregerint, quam plurimum ad vitam populi vere christianam atque ad vitam sacerdotum vere clericalem conferre possunt.

288. „Ast“, ait Benedictus XIV. ¹⁾ *nihilominus multa ignorabit episcopus*, multa eum latebunt, vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, *nisi ad omnes suae dioecesis partes se conferat* et nisi per se ipsum ubique videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus malis medicina facienda sit, et quaenam fuerint eorum causae, quave actione occurrere etiam providenter queat, ne sublata reviviscant“.

„Praeterea cum ea sit humanae imbecillitatis conditio, ut in agro dominico, cuius cultura commissa Episcopo est, sensim vepres et spinae, et noxiae inutilesque herbae succrescant, certe nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis eius laboribusque partus progressu temporis deflorescet.“

Et sane, huc proprie spectat finis, quem Tridentini Patres in sacrae visitationis lege sancienda sibi proposuerunt. Solemniter enim professi sunt, ²⁾ quod „visitationis praeci-

¹⁾ Constit. „Ubi primum“ de 3. Dec. 1740, §. 8.

²⁾ Sess. XXIV. cp. 3. de ref.

puus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere: cetera prouti locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere“.

289. 1) Lex Tridentina praecipit, ut *visitatio pastoralis quotannis peragatur*, aut si episcopus annuatim universam dioecesim ob eius amplitudinem perlustrare non poterit, ut *saltem biennio tota compleatur*.

Quod si ipse vel legitime praepeditus fuerit, vel dioecesis territorium tam late extendatur, ut ne biennio quidem omnium partium visitationem absolvere valeat, unum vel plures pietate et ingenio, fidelitate et cognitione conditionis districtus praeditos *convisitatores constituere* tenetur, quippe qui delegata ab ipso auctoritate eas lustrent partes, quas episcopus per se ipsum adire et visitare nequit.

Cum nostra dioecesis sat ampla sit, atque 292 parochias, 1 vicariatum, 18 exposituras, 3 capellanas veteres independentes contineat, patet, nobis impossibile esse, visitationem totius dioecesis perficere spatio duorum annorum. Si Deus vires sufficientes nobis non negaverit, statuimus, dioecesim *quolibet quinquennio* perlustrare.

Interim vero *vices nostras archidiaconi suppleant atque decani*, qui singulis annis suum districtum permeare, atque desuper ad nos deferre obligantur.

2. Obiectum visitationis.²⁾

290. Quoad *visitationis obiectum* valet regula: Quidquid limitibus dioecesis comprehenditur, in ecclesiasticis iurisdictioni episcopali subesse ex iure praesumitur. Inde, nisi privilegium exemptionis probetur, episcopus auctoritate sua ordinaria ad visitationem suscipiendam jus habet atque officium.

1) Act. et Const. Syn. Lavant. a. 1900, pg. 496. sqq.

2) Dioecesanblatt a. 1876, pg. 83. sqq.; Act. et Const. Syn. Lavant. a. 1900, pg. 497 sqq.; Melchers, de canonica visitatione pg. 1—119.

Visitationi episcopali obnoxia sunt: ecclesia cathedralis, capitulum cathedrale, capitulum collegiatum, curia episcopalis, clericorum seminaria atque convictoria, decani et parochi, cooperatores et singuli sacerdotes, aeditui alique ecclesiae inservientes, parochiani, ecclesiae earumque bona, ecclesiae regularium, si curam adnexam habent, oratoria publica, privata vero, si denuntientur, eadem indecenter servari, coemeteria, instituta, confraternitates laicorum, hospitalia, instituta pauperum, monasteria monialium, parvi conventus regularium, etiam exemptorum, regulares ipsi, si extra clausuram degunt.

291. In visitatione pastorali *non sufficit informatio de externo ecclesiarum statu, sed praecipue de interiori statu dignoscendo adlaborandum est*. Visitor ergo hunc primum cognoscat investigando de fide, vitae sanctimonia et moribus visitandorum. Id praesertim spectandum est, ne doctrinae sinceritas ullo errore corrumpatur, nec vitis vita maculetur. Sed propterea externus dioecesis status minime negligendus est.

Potiora visitationis capita sunt:

a) *Curati animarum*, a quorum vita et zelo pastoralis dependet salus dioecesis; investigandum est, num et quomodo omnia pastoralis sui muneris officia adimpleant;

visitandi sunt parochorum *adiutores et singuli sacerdotes in parochia domicilium habentes*, v. g. an operam navent recitationi Breviarii, meditationi, lectioni spirituali, frequentiae Sacramenti Poenitentiae et exercitiis spiritualibus, an habitum sat decentem clericalem deferant, an a prohibitis negotiis abstineant, an, omnimodam castitatem servantes, erga mulieres famulantes gravitatem et discretionem observent, an non mulieres suspectas, vanas, loquaces aut nimis iuvenes in servitio habeant, an nusquam mulierem mensae, itineris vel deambulationis sociam sibi faciant, an non a necessaria et convenienti consuetudine cum fratribus consacerdotibus sine necessitate se retineant ac vitam solitariam degant, quod plerumque non sine magno sui ipsius detrimento accidere solet; an prudenter abstineant a conversa-

tione cum personis incredulis, irreligiosis et improbis, an superioribus obedientiam exhibeant, an fraternam caritatem inter se custodiant, in genere, an omnia sui status officia adimplere satagant;

quoad *decanos* insuper in eorum officia decanaliam inquirendum est;

b) visitationi subiacent *aeditui et omnes ecclesiae inservientes*, num pietate, probitate morumque integritate excellent;

c) *maximi momenti in sacra visitatione est, inquirere in statum religiosum et moralem parochianorum*: investigandum de sanctificatione dominicae et dierum festivorum, de frequentia Sacramentorum, de abusibus et scandalis; de fractionibus, de societatibus noxiis, de libris et diariis prohibitis, de vita et principiis operariorum in fabricis et officinis; de confraternitatibus, praecipue de congregatione Mariāna, de coetibus iuvenum, de consociationibus opificum, operariorum, agricolarum; de famulis et famulabus, de parentibus et heris relate ad eorum curam pro domesticis, et in genere, num praecepta Dei et Ecclesiae observentur;

d) eminens obiectum visitationis canonicae constituunt *ecclesiae parochiales et filiales*, nec non oratoria publica, hinc inde et privata;

e) visitanda sunt omnia *aedificia ecclesiastica*, ut domus parochialis, domus capellanorum, aedituorum, organoedorum;

f) invisendum *archivum, inventaria, omnes libri matriculares et alii, qui exiguntur*;

g) visitanda *administratio bonorum* tum ecclesiae, tum beneficii, an vitrici legitime constituti, an bona ecclesiae secundum instructionem de anno 1860 administrantur;

h) visitandum est etiam *coemeterium*, denique

j) *instructio et educatio catechetica*.

3. Praeparatio ad visitationem canonicam.

292. Initio cuiuslibet anni publicabuntur decanatus et parochiae, in quibus currente anno visitatio canonica locum habitura sit. Quia vero cum canonica visitatione administratio

quoque Sacramenti Confirmationis coniungi solet, ideo de *praeparatione ad S. Confirmationem nec non de ordine in visitatione servando statuimus*, quae sequuntur:

a) Praeparatio ad S. Confirmationem.

293. a) Animarum curatores ne omittant, saepius, imprimis festis pentecostalibus, de Sacramento S. Confirmationis, de gratiis eiusdem specialibus et de donis Spiritus Sancti sermonem habere. Anno autem, quo in eorum parochia hoc Sacramentum administrabitur, iusto tempore *pueros et puellas, quae septennium expleverunt, convocent* ipsosque instruunt de omnibus, quae ad tanti Sacramenti vim et dignitatem explicandam necessaria videntur; *ultra decimum, vel decimum quartum annum receptio huius Sacramenti ne differatur*; parochi nullum non moveant lapidem, ne tale quid contingat; si infans septennio maior graviter decumbit, certior reddatur episcopus, ut aegroto Sacramentum domi conferat, si id fieri poterit;

b) confirmandi *sciant* preces consuetas, rudimenta fidei, praecepta Dei et Ecclesiae; iis, qui rite praeparati fuerint, ut ad Sacramentum admitti possint, exhibeantur *testimonia* sive a parcho, sive a catecheta; quae testimonia, in quibus etiam nomen patrini scriptum sit, administrato Confirmationis Sacramento reddantur parochis, ad quorum parochiam confirmati pertinent;

c) parochi curare debent, ut *confirmandi confessario se sistant* et peccata, de quibus conscientia eos accusat, confiteantur; nam sine statu gratiae hoc Sacramentum valide quidem, sed illicito, immo sacrilege susciperetur;

d) quoad *patrinos* notandum, quid requiratur, ut quis valide et licite qua patrinus admitti possit:¹⁾

ut sit quis *valide* patrinus, requiritur, ut habeat usum rationis et animum gerendi munus patrini, ut sit designatus, ut confirmandum physice tangat, ut sit ipse confirmatus;

¹⁾ Škof. List a. 1902, pg. 31. sqq. — Noldin, de Sacramentis pg. 83., 99. sqq.

ut vero quis *licite* sit patrinus, requiritur: ut sit unus tantum, eiusdem sexus, nec minor annis quatuordecim; ut sit diversus a patrino baptismi, nisi rationabilis causa excusat; unus idemque patrinus plures quam duos eodem tempore ne suscipiat, nisi parochus causam sufficientem iudicaverit; omnino autem tollatur abusus, ut decem, quindecim vel adhuc plures confirmandi unum patrinum, vel unam patrinam habeant; ut non sit de congregatione religiosa, ut non sit pater, mater, maritus, aut uxor confirmandi, ut non sit propter crimen aliquod indignus; patrinus quoque esse non potest, de quo publice constat, illum elapso proximo tempore paschali non fuisse confessum, nec sacram synaxin sumpsisse;

in *patrinis non admittendis parochus caute procedat*, et si praevideat, ex repulsa data mala esse obventura, videat in Domino, an non consultius fuerit passive sese habere quoad illos patrinos, qui propter omissionem paschalis praecepti excludi deberent;

de omnibus, qui propter *crimen* aliquod indigni sunt, valet responsio sacrae Poenitentiariae¹⁾: „Episcopus vel parochus *tolerare* potest, ut officium patrini in confirmatione notorie censuratus sustineat, si ex reiectione eius gravia damna imminere videantur“;

similiter docent theologi: quia *leges ecclesiasticae non obligent sub gravi incommodo*, parochus non tenetur reiicere indignos, quos sine gravi damno reiicere nequit; in reiiciendis indignis a munere patrini parochus valde prudens et cautus sit oportet, ne alios offendat, neve sibi molestias creet; ideo antea hac de re moneat, sedulo absteineat a quovis verbo iniurioso et caveat, ne reiectionis causam aperiat, sed suavi modo id tantum dicat, se illum ut patrinum admittere haud posse;

sacerdotes et clerici saeculares caute procedant in suscipiendo munere patrini; desideramus, ne *parochi hoc officio fungantur*, etenim suis fidelibus omnibus omnia esse aequali modo curare debent;

¹⁾ de die 10. Dec. 1860. ad 19.

e) edoceant parochi populum, *illicitum esse plures quam duos confirmandos sustinere*, ne occasione Sacramenti praecipue lucrum temporale prae oculis habeatur, aut S. Confirmatio ad meram caeremoniam redigatur;

f) fideles moneantur *de suscipiendis Sacramentis tempore Confirmationis* et de lucrandis indulgentiis, dentque operam, ut opem coelestem et benedictionem ferventibus precibus a Domino implorent;

g) sollerter cavendum est, *ut omnia evitentur, quae fidelibus scandalo potius, quam aedificationi sint*; propterea *severe prohibetur musica in tabernis, illicitae sunt choreae* et omnes festivitates clamorosae; curandum, ut patrini simul cum confirmatis quo citius domum revertantur; obsecrentur omnes, ne infantes ad nimium potum cogant, vel obscoenis colloquiis scandalum dent.

b) Praeparatio ad visitationem.

294. In ecclesia, in aedibus parochialibus, in archivo omnia necessaria ita disponantur, ut visitatio facili modo progrediatur. Praesentes sint *omnes sacerdotes* in parochia degentes; vocentur quoque *vitrici ecclesiae parochialis et filialium*.

Praeprimis requiritur *relatio, quae dicitur „Promemoria“ a paracho conficienda*, et quidem de statu religioso, morali et materiali parochiae. Puncta, quae in exaranda hac relatione tangantur, facile depromi poterunt ex iis, quae de obiecto visitationis diximus; innovationes quoque et immutationes sive in ecclesia sive in aedibus parochialibus atque oeconomicis factae ab ultima visitatione enumerentur; describatur etiam vita fidelium socialis; quod „promemoria“ statim episcopo tradatur; adsit quoque liber „Memorabilem“. 1)

c) Ordo in visitatione observandus. 2)

295. Ordinem iam *assuetum iterum approbamus*:

a) Adventus episcopi fere ubique circa horam quartam postmeridianam fieri poterit; iuxta ordinem in Pontificali

1) Škof. List a. 1902, pg. 30.

2) Škof. List a. 1900, pg. 28.; a. 1901, pg. 24.

Romano praescriptum a clero et populo parochiae processionaliter excipiendus est, si tempestas permittit; si vero multum plueret, clerus cum populo maneat apud ecclesiam vel in illa; populus quoque retineatur, ne propter benedictionem obtinendam in luto genuflectat; *pluvia cadente parvuli vel in ecclesia vel in schola adventum episcopi expectent*; ad ornandas plateas arboribus et variis coronis et floribus nexis omnis luxus nimis magnus vitetur; gaudemus vero, usum mortariorum cessasse;

b) episcopus aspergens se et circumstantes aqua benedicta pergit ad genuflexorium ad altare praeparatum; *parochus, pluviali indutus vel saltem superpelliceo et stola, accedit ad altare, exponit ostensorium cum Ss. Sacramento et infimo altaris gradu genuflexus ter „Pater“ et „Ave“ cum „Gloria Patri“ alta voce persolvit, dein dat benedictionem vel ritu romano, vel sub cantu: „Sveto,“ resp. „Heilig“.*

c) post benedictionem episcopus se *confert in scholam*, ubi universa iuventus ad frequentandum obligata *per classes divisa*, non absque ordine permixta, considat; catecheta examen habebit in omnibus classibus seorsim, inchoando a minima usque ad supremam, in qualibet classe examinabit catecheta de universa materia usque ad tempus confirmationis pertractata, et quidem omnes infantes ordine, quo sedent, et materiam ordine catechismi; examen fiat methodo catechetica; paratus sit liber, in quo materia singulis horis pertractata consignata est; catecheta paratus sit, materiam catechismi, quam secus illa hora exponeret, revera modo consueto exponendi, si episcopo placuerit;

d) examine finito episcopus visitabit ecclesiam, coemeterium, aedes parochiales et oeconomicas, nec non administrationem omnium bonorum tum beneficialium, tum ecclesiae, quapropter vitrici praesentes sint; perquiret quoque omnes libros et archivum, num in illo omnia rite sint recondita et asservata;

e) sequitur eodem die vel sequenti visitatio parochi, cooperitoris, aeditui et famulitii;

f) hora octava praeparetur *brevis coena*;

g) die sequenti excipientur confessiones a hora 4^{1/2} usque ad horam nonam;

h) *hora nona est sollemnis ingressus in ecclesiam*; ad portam ecclesiae episcopo porrigitur crux osculanda et aspersorium, dein imposito thuribulo incensabitur; illo ingrediente in ecclesiam cantatur a choro vel recitatur a clero Antiph. „Ecce sacerdos magnus“ cum Ψ et orationibus; sequitur sollemnis benedictio et promulgatio indulgentiarum;

i) dein celebrabitur ab episcopo *Ss. Missa*, qua finita datur cum Sanctissimo benedictio ritu romano; hac occasione fit visitatio tabernaculi; post benedictionem *profertur ab episcopo sermo conveniens*, quem excipit *administratio Sacramenti Confirmationis*;

k) absoluta confirmatione persolvuntur *orationes pro defunctis*, in ecclesia pro defunctis episcopis, in coemeterio pro defunctis fidelibus; si coemeterium longe distat, vel si pluit, omnes orationes in ecclesia persolventur;

l) episcopus deducitur in aedes parochiales, ubi post brevissimam recreationem prosequitur visitationem, si vespere praecedenti finiri non potuerit, recipiet quoque parochianos, si illum adire desideraverint;

m) hora 12^{1/2} vel 1. praeparetur prandium; volumus tamen, ut *victus sit moderatus et frugalis*, paucis solummodo ferculis constans et praesertim, ut *vinum maioris pretii omnino excludatur*;

n) episcopus *iter continuabit* tempore tali, ut hora circiter quarta novam stationem attingere possit; *antequam perrexerit, in ecclesia ante altare maius consuetas peraget preces*;

o) statim vel brevi tempore post edetur *decretum visitationis*, quod sine mora executioni mandetur, in quantum fieri potest;

p) confirmati in *libro confirmatorum describantur*, ut testimonia desuper, quando fuerint necessaria, exarari et cognatio spiritualis erui possit.

295. Hac ratione episcopus unum ex principalioribus et difficillimis officiis suis adimplere conabitur; utinam cum clero, tum populo prodesse posset; utinam fideles, clerus et episcopus in amore et per obedientiam coniuncti Deo servire et animas suas salvas facere valeant!

Conclusio.

Regi saeculorum, immortalis et invisibilis, soli Deo honor et gloria atque gratiarum actio pro adiutorio concesso in Synodo hac praeparanda, celebranda et ad bonum finem deducenda!

O dulcissimum Cor Jesu, per manus B. Virginis Mariae constitutiones huius Synodi omnes Tibi offero atque commendo supplexque peto uberrimas nec non efficacissimas gratias pro clero et populo, ut constitutiones adamant, exsequantur atque in vita christiana proficientes illuc perveniant, ubi Te a facie in faciem videre atque in aeternum Tecum beati esse valeant. Fiat! Fiat!



Approbatio.

Nos Antonius Bonaventura, Episcopus Labacensis, omnes et singulas Constitutiones huius Synodi confirmamus, ratas facimus, omnesque, ad quos spectant, iisdem obligatos esse volumus. Ligant vero omnes clericos et laicos episcopo Labacensi subiectos, regulares vero nonnisi in iis, quae respiciunt curam animarum et Sacramentorum administrationem.

Constitutionum interpretatio authentica ad episcopum dioecesanum spectat, ad quem in dubio recurrendum est, ut mentem suam patefaciat et pro opportunitate decernat.

Valor et obligatio Constitutionum non expirant morte conditoris, nec sunt leges mere poenales, sed obligant in conscientia; earumque vis non retardatur per ipsam appellationem ad Superiorem.

Obligatio incipit die 1. Ianuarii 1904.

Ex Residentia Nostra episcopali in festo S. Laurentii Justiniani die 5. Septembris 1903.

† *Antonius Bonaventura*,
episcopus.

Joannes Sušnik,
canonicus
secretarius Synodi.

Dr. Franciscus Ušeničnik,
praef. spiritualis in Sem. cler.
notarius Synodi.

Catalogus

eorum, qui interfuerunt Synodo dioecessanae Labacensi
celebratae a. D. 1903.

I.

- P. T. D. Dr. Joannes Kulavic, Praepositus mitratus Capituli
eccles. cathedr., Protonotarius Apostolicus.
" " " Andreas Zamejic, Decanus mitratus Capituli eccles.
cathedr.
" " " Joannes Flis, Canonicus eccl. cathedr., Suae Sancti-
tatis Praelatus domesticus, Vicarius generalis.
" " " Joannes Sušnik, Canonicus eccl. cathedr.
" " " Andreas Kalan, Canonicus eccl. cathedr.
" " " Josephus Erker, Canonicus eccles. cathedr. et pa-
rochus.
" " " Dr. Joannes Koren, Canonicus eccles. cathedr.
" " " Thomas Kajdiž, Canonicus eccles. cathedr.
" " " Joannes Sajovic, Canonicus eccles. cathedr.
" " " Dr. Andreas Karlin, Canonicus eccles. cathedr.
" " " Dr. Ferdinandus Čekal, Canonicus eccl. cathedr.
" " " Antonius Fettich-Frankheim, Canonicus eccles.
cathedr.

II.

- R^{mus} D. P. Gerhardus Maier, Abbas Ord. Cisterciensium
monasterii Sitticensis.
Pl. R. D. Dr. Sebastianus Elbert, Praepositus mitratus Ca-
pituli colleg., dec. et parochus in Novo Mesto.
" " " Joannes Rozman, Protonotarius Apost. a. i. p., pa-
rochus ad Sti Jacobi Labaci.
A. R. P. Constantinus Luser, Minister Provincialis O. Fr. M.
Provinciae S. Crucis Carnioliae.
" " " D. Franciscus Povše, Canonicus Capitul. colleg. in
Novo Mesto.

III.

- R. D. Antonius Zupančič, Suae Sanctitatis cubicularius intimus adlectus ad numerum, Professor Theol. pastoralis.
 " " Dr. Joannes Janežič, Professor Theol. moralis.
 " " Dr. Josephus Lesar, Director Seminar. dioec. cler., Professor studii Biblici N. F.
 " " Dr. Josephus Dolenec, Professor studii Biblici V. F.
 " " Dr. Joannes Krek, Professor Theol. fundam. et Philos. Thomisticae.
 " " Dr. Alexius Ušeničnik, Professor Theol. dogm. spec.
-
- " " Mathias Kastelic, Subdirector et oeconomus in Sem. dioec. cler.
 " " Dr. Franciscus Ušeničnik, Praefectus spiritualis in Sem. dioec. cler.
 " " Dr. Mathias Prelesnik, Praefectus studiorum in Sem. dioec. cler.
 " " Dr. Josephus Gruden, Director in Sem. dioec. puerorum.
 " " Dr. Michael Opeka, Praefectus studiorum in Sem. dioec. puerorum.
 " " Josephus Dostal, Secretarius Cancellariae Episcopalis.
 " " Victor Steska, Secretarius Cancellariae Episcopalis.
 " " Michael Bulovec, Confessarius Monialium S. Ursulae, Labaci.

IV.

- R. D. Arko Michael, Decanus et Parochus in Idrija.
 " " Bizjan Joannes, Decanus et Parochus in Moravče.
 " " Dolinar Franciscus, Decanus et Parochus in Ribnica.
 " " Erjavec Mathias, Decanus et Parochus in Vipava.
 " " Erker Ferdinandus, Dec. et Parochus in Gottschee.
 " " Erzar Mathias, Decan. et Parochus-Vicarius in Semič.
 " " Gantar Laurentius, Decanus et Parochus in Vrhnika.
 " " Gornik Franciscus, Decanus et Par. in Postojna.
 " " Koblar Antonius, Decanus et Parochus in Kranj.
 " " Dr. Kržišnik Jos., Decanus et Parochus in Trnovo.

- R. D. Kummer Franciscus, Decanus et Parochus in Stara Loka.
- " " Kunstelj Franciscus, Decanus et Parochus in Cirknica.
- " " Lavrenčič Joannes, Decanus et Parochus in Kamnik.
- " " Nagode Joannes, Decanus et Parochus in Trebnje.
- " " Novak Joannes, Decanus et Parochus in Radoljica.
- " " Schweiger Franciscus, Decanus et Parochus in Leskovec.
- " " Tavčar Michael, Canonicus honorarius Capituli eccl. cath. Labacen., Decanus et Parochus in Žužemberk.
- " " Žlogar Antonius, Decanus et Parochus in Šmartno pri Litiji.

V.

- R. D. Thomas Zupan, Suae Sanctitatis cubicularius intimus adlectus ad numerum, institutionis religiosae Professor in c. r. I. gymnasio Labaci.
- " " Dr. Joannes Svetina, institutionis religiosae Professor in c. r. I. gymnasio Labaci.
- " " Dr. Gregorius Pečjak, institutionis religiosae Professor in c. r. II. gymnasio Labaci.
- " " Joannes Gnjezda, institutionis religiosae Professor in c. r. schola reali sup. Labaci.
- " " Antonius Kržič, institutionis religiosae Professor in c. r. paedagogio Labaci.
- " " Dr. Josephus Marinko, institutionis religiosae Professor in c. r. gymnasio in Novo Mesto.
- " " Dr. Franciscus Pernè, institutionis religiosae Professor in c. r. gymnasio in Kranj.
- " " Alphonsus Levičnik, institutionis religiosae Professor in schola reali in Idrija.
- " " Maurilius Šarabon, Catecheta in civ. schola elem. Labaci.
- " " Joannes Smrekar, Catecheta in civ. schola elem. Labaci.
- " " Joannes Mlakar, Catecheta in civ. schola elem. Labaci.
- " " Aloysius Stroj, Catecheta in schol. pue'll. in monasterio Monialium S. Ursulae Labaci.

- R. D. Antonius Jarc, Professor supplens in c. r. II. gymn. Labaci.
 " " Joannes Gnidovec, Professor supplens in c. r. gymnasio in Kranj.

VI.

- R. D. Abram Joannes, Parochus in Črni Vrh nad Idrijo.
 " " Aljančič Valentinus, Parochus in Dobráva.
 " " Aljaž Jacobus, Parochus in Dovje.
 " " Antončič Antonius, Parochus in Planina pri Vipavi.
 " " Auguštín Franciscus, Parochus in Kopanj.
 " " Avsec Franciscus, Parochus in Št. Jurij pod Kumom.
 " " Ažman Joannes, Parochus in Gôrje.
 " " Ažman Simon, Parochus in Studenec.
 " " Barbo Michael, Parochus in Horjul.
 " " Bartelme Joannes, Parochus in Unter-Lag.
 " " Berce Antonius, Parochus in Boštanj.
 " " Bergant Valentinus, Parochus in Mirna Peč.
 " " Berlan Engelbert, Parochus in Dobovec.
 " " Berlic Joannes, Parochus in Srednja vas, Bohinj.
 " " Bernik Valentinus, Parochus in Homec.
 " " Bobek Aloysius, Parochus in Godovič.
 " " Bohinjec Petrus, Parochus in Škocijan pri Dobrávi.
 " " Borštinar Josephus, Parochus in Šempeter pri Novem mestu.
 " " Brence Joannes, Parochus in Preska.
 " " Brulec Franciscus, Parochus in Vélíka Dólina.
 " " Cemè Carolus, Parochus in Dol.
 " " Čebašek Joannes, Parochus in Trata.
 " " Česenj Andreas, Parochus in Podgrad.
 " " Češarek Franciscus, Parochus in Zagradec.
 " " Debelak Joannes, Parochus in Št. Jurje pri Šmariji.
 " " Dejak Henricus, Parochus in Vrhpolje.
 " " Demšar Joannes, Parochus in Št. Vid pri Vipavi.
 " " Dernovšek Georgius, Parochus in Žabnica.
 " " Dobnikar Joannes, Parochus in Janče.
 " " Dolinar Antonius, Parochus in Lučine.
 " " Dolinar Franciscus, Parochus in Sv. Katarina.

- R. D. Dolinar Joannes, Parochus in Raka.
- " " Dovgan Franciscus, Parochus-Vicarius, Ordin. teut. praepositus in Metlika.
- " " Eppich Josephus, Parochus in Mitterdorf.
- " " Erker Josephus, Parochus in Mösel.
- " " Eržen Franciscus, Parochus in Zali Log.
- " " Ferjančič Jacobus, Parochus in Zavrác.
- " " Fertin Ignatius, Parochus in Zasip.
- " " Filler Wenceslaus, Parochus in Dole.
- " " Finžgar Franciscus, Parochus in Želimlje.
- " " Gabrič Antonius, Parochus in Cerklje (dec. Leskóvec).
- " " Gasperin Guilielmus, Parochus in Stockendorf.
- " " Gerčar Joannes, Parochus in Dob.
- " " Gerjol Laurentius, Parochus in Lašče.
- " " Gerzin Mathias, Parochus in Preserje.
- " " Globelnik Joannes, Parochus in Polšnik.
- " " Gnjezda Joannes, Parochus in Vojsko.
- " " Godec Joannes, Parochus in Lipoglav.
- " " Golob Joannes, Parochus in Primskovo.
- " " Gregorič Rudolphus, Parochus in Lozice.
- " " Hiersche Franciscus, Parochus in Sora.
- " " Hladnik Joannes, Parochus in Košana.
- " " Hladnik Joannes, Parochus in Trebelno.
- " " Hočevar Antonius, Parochus in Brezovica.
- " " Horvat Michael, Parochus in Turjak.
- " " Hoenigman Franciscus, Parochus in Kropa.
- " " Hribar Antonius, Parochus in Gora (dec. Idria).
- " " Hromec Joannes, Parochus in Šenturška Gora.
- " " Indof Franciscus, Parochus in Javorje (dec. Litija).
- " " Jakelj Gregorius, Parochus in Sv. Jakob pri Savi.
- " " Jakelj Valentinus, Parochus in Sv. Križ nad Jese-
nicami.
- " " Jaklič Carolus, Parochus in Prežganje.
- " " Jaklič Georgius, Parochus in Rieg.
- " " Jamnik Antonius, Parochus in Sorica.
- " " Jančigar Carolus, Parochus in Dobrniče.
- " " Janež Dominicus, Parochus in Studeno.

- R. D. Jarc Franciscus, Parochus in Mirna.
- „ „ Jelenec Joannes, Parochus in Ledine.
- „ „ Jemec Antonius, Parochus in Podlipa.
- „ „ Jenko Ludovicus, Parochus in Sv. Duh.
- „ „ Jereb Joannes, Parochus in Sv. Vid pri Cirknici.
- „ „ Jereb Matthaeus, Parochus in Preddvor.
- „ „ Juvan Joannes, Parochus in Spodnja Idrija.
- „ „ Kadunc Franciscus, Parochus in Krašnja.
- „ „ Kalan Jacobus, Parochus in Morobiz.
- „ „ Karet Joannes, Parochus in Unter-Deutschau.
- „ „ Karlin Joannes, Parochus in Smlednik.
- „ „ Kerin Martinus, Parochus in Struge.
- „ „ Kljun Joannes, Parochus in Spodnji Tuhinj.
- „ „ Knol Adolphus, Parochus in Babno Polje.
- „ „ Kobilica Ioannes, Parochus in Černuče.
- „ „ Kocijančič Antonius, Parochus in Gojzd.
- „ „ König Georgius, Parochus-Vicarius in Vinica.
- „ „ Kolar Mathias, Parochus in Polje.
- „ „ Koller Gustavus, Parochus in Podraga.
- „ „ Korbič Antonius, Parochus in Železniki.
- „ „ Koritnik Jacobus, Parochus in Bloke.
- „ „ Kos Josephus, Parochus in Sela pri Šumbregu.
- „ „ Košir Franciscus, Parochus in Koroška Bela.
- „ „ Košmelj Joannes, Parochus in Begunje.
- „ „ Koželj Michael, Parochus in Podbrezje.
- „ „ Krajec Andreas, Parochus in Weissenfels.
- „ „ Kralj Mathias, Parochus in Tunjice.
- „ „ Kramarič Josephus, Parochus in Vrh.
- „ „ Kreiner Aloysius, Parochus in Črmošnjice.
- „ „ Krek Franciscus, Parochus in Vranja peč.
- „ „ Krištofič Laurentius, Parochus pens. donatus in Hrastje.
- „ „ Križaj Nicolaus, Parochus in Ovsiše.
- „ „ Kromar Joannes, Parochus in Šturijs.
- „ „ Krumpestar Franciscus, Parochus in Sv. Gregor.
- „ „ Kukelj Antonius, Parochus in Št. Jurij pri Kranju.
- „ „ Kunauer Joannes, Parochus in Golo.

- R. D. Kušar Franciscus, Parochus in Mengeš.
 „ „ Kutnar Ignatius, Parochus in Bučka.
 „ „ Lakmayer Franciscus, Parochus in Št. Jošt (dec. Vrhnika).
 „ „ Lavrič Josephus, Parochus in Logatec.
 „ „ Lavtižar Josephus, Parochus in Ráteče
 „ „ Laznik Josephus, Parochus in Polhov Gradec.
 „ „ Lebar Jacobus, Parochus in Ebental.
 „ „ Lesar Joannes, Parochus in Peče.
 „ „ Lesjak Antonius, Parochus in Št. Jernej.
 „ „ Lotrič Leopoldus, Parochus in Zlato Polje.
 „ „ Lovšin Antonius, Parochus in Dóbrova.
 „ „ Lovšin Joannes, Parochus in Prem.
 „ „ Malenšek Martinus, Parochus ad Sti Petri Labaci.
 „ „ Mali Antonius, Parochus in Blagovica.
 „ „ Malovrh Gregorius, Parochus in Št Vid nad Ljubljano.
 „ „ Marčič Valentinus, Parochus in Slap.
 „ „ Dr. Muring Joannes, Parochus in Ig.
 „ „ Medved Antonius, Parochus in Sv. Gora.
 „ „ Mervec Joannes, Parochus in Št. Rupert.
 „ „ Mezek Antonius, Parochus in Špitalič.
 „ „ Mikš Joannes, Parochus in Trstenik.
 „ „ Molek Martinus, Parochus in Sava.
 „ „ Molj Joannes, Parochus in Stranje.
 „ „ More Antonius, Parochus in Bukovšica.
 „ „ Možina Joannes, Parochus in Rovte.
 „ „ Mrak Mathias, Parochus in Bohinjska Bela.
 „ „ Müller Joannes, Parochus in Sv. Helena.
 „ „ Nemanič Martinus, Parochus in Brusnice.
 „ „ Nemanjič Joannes, Parochus in Št. Janž.
 „ „ Nemec Antonius, Parochus in Kokra.
 „ „ Novak Mathias, Parochus in Radovica.
 „ „ Oblak Joannes, Parochus in Grad.
 „ „ Okorn Ignatius, Parochus in Senožeče.
 „ „ Pavlič Damianus, Parochus in Kostanjevica.
 „ „ Pavlovčič Jacobus, Parochus in Suhor.

- R. D. Pehani Aloysius, Parochus in Knežak.
- „ „ Peharec Stanislaus, Parochus-Vicarius in Črnomelj.
- „ „ Perpar Franciscus, Parochus in Sv. Trojica.
- „ „ Pešec Franciscus, Parochus in Rob.
- „ „ Petek Andreas, Parochus in Sv. Križ pri Litiji.
- „ „ Peterlin Antonius, Parochus in Šmihel pri Novem Mestu.
- „ „ Pfajfar Antonius, Parochus in Leskovica.
- „ „ Piber Joannes, Parochus in Bohinjska Bistrica.
- „ „ Pipan Andreas, Parochus in Polica.
- „ „ Piskar Joannes, Parochus in Št. Ožbalt.
- „ „ Plantarič Josephus, Parochus in Št. Lambert.
- „ „ Plevaneč Joannes, Parochus in Soteska.
- „ „ Poč Martinus, Parochus in Komenda.
- „ „ Podboj Joannes, Parochus in Toplice.
- „ „ Pokorn Franciscus, Parochus in Besnica pri Kranju.
- „ „ Poljak Martinus, Parochus in Ajdovec.
- „ „ Porenta Franciscus, Parochus in Križe pri Trziču.
- „ „ Porenta Jacobus, Parochus in Stopiče.
- „ „ Potočnik Thomas, Parochus in Breznica.
- „ „ Povše Henricus, Parochus in Čatež pod Zaplazom.
- „ „ Pristov Josephus, Parochus in Ribno.
- „ „ Rajčevič Franciscus, Parochus in Grahovo.
- „ „ Raktelj Leopoldus, Parochus in Masern.
- „ „ Ramoveš Andreas, Parochus in Dobrépolje.
- „ „ Ramoveš Barthol., Parochus in Poljane nad Škofjo Loko.
- „ „ Razboršek Josephus, Parochus in Šmartin pri Kranju.
- „ „ Regen Josephus, Parochus in Unec.
- „ „ Renier Joannes, Parochus in Krško.
- „ „ Režek Petrus, Parochus in Stari Trg pri Poljanah.
- „ „ Rihar Franciscus, Parochus in Mekinje.
- „ „ Rihar Leopoldus, Parochus in Nevlje.
- „ „ Rihar Stephanus, Parochus in Planina.
- „ „ Rihtaršič Joannes, Parochus in Loški Potok.
- „ „ Rome Josephus, Parochus in Podzemelj.
- „ „ Rott Gotthardus, Parochus in Zagorje.

- R. D. Rozman Georgius, Parochus in Koyor.
 „ „ Rožnik Thomas, Parochus in Selca.
 „ „ Rudolf Aloysius, Parochus in Čatež.
 „ „ Saje Michael, Parochus in Štanga.
 „ „ Sakser Joannes, Parochus in Hotedršica.
 „ „ Sattner P. Hugolinus, parochiae Administrator ad
 B. M. V. Annunt. Labaci.
 „ „ Schiffrer Gustavus, Parochus in Borovnica.
 „ „ Schiffrer Ludovicus, Parochus in Žalina.
 „ „ Seigerschmied Josephus, Parochus in Lesce.
 „ „ Skvarča Joannes, Parochus in Budanje.
 „ „ Slak Mathias, Parochus in Brdo.
 „ „ Sorc Georgius, Parochus in Krka.
 „ „ Soukup Joannes, Parochus in Stara Oselica.
 „ „ Stenovec Antonius, Parochus in Sela pri Kamniku.
 „ „ Sturm Franciscus, Parochus in Pöllandl.
 „ „ Šalehar Ignatius, Parochus in Dolenja Vas.
 „ „ Šašelj Joannes, Parochus in Adlešiči.
 „ „ Šimenec Andreas, Parochus in Št. Lovrenc.
 „ „ Šinkovec Augustinus, Parochus in Škofja Loka.
 „ „ Šiška Joannes, Parochus in Rova.
 „ „ Škerjanec Joannes, Parochus in Vreme.
 „ „ Škufca Ludovicus, Parochus in Kranjska Gora.
 „ „ Šlibar Gregorius, Parochus in Rudnik.
 „ „ Šmidovnik Antonius, Parochus in Prečina.
 „ „ Špendal Franciscus, Parochus in Tržič.
 „ „ Štrukelj Joannes, Parochus in Zgornji Tuhinj.
 „ „ Terček Michael, Par. in Šmartno pod Šmarno Goro.
 „ „ Texter Conradus, Parochus in Višnja Gora.
 „ „ Trpin Joannes, Parochus in Mošnje.
 „ „ Verhovšek Franciscus, Parochus in Svibno.
 „ „ Videgar Joannes, Parochus in Št. Vid pri Zatičini.
 „ „ Vidmar Josephus, Parochus in Žiri.
 „ „ Vilman Casparus, Parochus in Kolovrat.
 „ „ Virant Joannes, Parochus in Mokronog.
 „ „ Volc Josephus, Parochus in Velike Poljane.
 „ „ Vondrašek Wenceslaus, Parochus in Ambrus.

- R. D. Vrhovnik Joannes, Paroch. ad Sti Joannis B. Labaci.
 „ „ Zakrajšek Joannes, Parochus in Vavta vas.
 „ „ Zaman Andreas, Paroch. in Šmarjeta na Dolenjskem.
 „ „ Zbašnik Franciscus, Parochus in Hinje.
 „ „ Zelnik Josephus, Parochus in Čemšenik.
 „ „ Zupan Michael, Parochus in Sostro.
 „ „ Zupan Simon, Parochus in Ježica.
 „ „ Zupančič Joannes, Parochus in Šmihel pri Žužemberku.
 „ „ Zupanec Bartholomaeus, Parochus in Motnik.
 „ „ Žgur Antonius, Parochus in Hrenovice.
 „ „ Žnidaršič Antonius, Parochus in Bela Cerkev.
 „ „ Žužek Simon, Parochus in Vodice.

VII.

- R. D. Bajec Jacobus, Capellanus exposit. in Orehek.
 „ „ Bleiweis Franciscus, Administr. par. in Leše.
 „ „ Bojanec Antonius, Capell. exposit. in Suhorija.
 „ „ Boncelj Franciscus, Administr. par. in Dražgoše.
 „ „ Brešar Josephus, Administr. par. in Sodražica.
 „ „ Cegnar Josephus, Beneficiatus et Capellanns expos. in Vrhpolje.
 „ „ Čemažar Franciscus, Administr. par. in Vrabče.
 „ „ Dimnik Franciscus, Capell. expos. in Begunje na Notranjskem.
 „ „ Gregorič Josephus, Administr. par. in Vrh.
 „ „ Groznik Franciscus, Vicarius provis. in Zagorje (dec. Trnovo).
 „ „ Hauptman Petrus, Admin. par. in Stari Trg pri Ložu.
 „ „ Juvanec Josephus, Admin. par. in Rakitna.
 „ „ Kadunc Mathias, Administr. par. in Preloka.
 „ „ Kepec Franciscus, Administr. par. in Češnjice.
 „ „ Klemen Joannes, Capell. expos. in Ubeljsko.
 „ „ Klinec Barthol., Administr. par. in Javor.
 „ „ Knific Josephus, Beneficiatus cur. in Tomišelj.
 „ „ Koblar Josephus, Capellanus expos. in Gora (dec. Ribnica).

- R. D. Kosobud Eduard, Administr. par. in Velesovo.
 „ „ Lavrič Andreas, Capellanus in Goče.
 „ „ Lenasi Carolus, Capellanus expos. in Nadanje Selo.
 „ „ Matjan Jacobus, Administr. par. in Zaplana.
 „ „ Medved Antonius, Capellanus expos. in Košica.
 „ „ Mohar Petrus, Administr. par. in Sv. Planina.
 „ „ Novak Josephus, Administr. par. in Dragatuš.
 „ „ Oswald Franciscus, Beneficiatus cur. in Idrija.
 „ „ Pavlin Franciscus, Administr. par. in Sv. Trojica pri Cirknici.
 „ „ Perjatelj Bartholom., Administr. par. in Podkraj.
 „ „ Pfajfar Joannes, Admin. par. in Javorje (dec. Loka).
 „ „ Pintar Matthaeus, Administr. par. in Št. Gotard.
 „ „ Pristov Simon, Beneficiatus cur. in Št. Vid pri Zatičini.
 „ „ Schauer Augustus, Administr. parochiae in Unter-Warmberg.
 „ „ Strupi Jacobus, Beneficiat. cur. in Goričica.
 „ „ Šarec Aloysius, Capellanus expos. in Št. Jošt (dec. Kranj.)
 „ „ Šega Victor, Curatus ad Capellam S. Vincentii a P. in ergastulo, Labaci.
 „ „ Švigelj Josephus, Capell. expos. in Harije.
 „ „ Tabor Antonius, Capellanus in Erzel.
 „ „ Vrankar Josephus, Capellanus in Ustje.
 „ „ Zabukovec Joannes, Administr. par. in Jesenice.
 „ „ Zabukovec Thomas, Administr. par. in Draga.
 „ „ Zorec Franciscus, Administr. par. in Nova Oselica.
 „ „ Zupan Joannes, Capellanus expos. in Šempeter.
 „ „ Zupan Leonardus, Administr. par. in Šmarije.
 „ „ Zupanec Ignatius, administr. par. in Predoslje.
 „ „ Železny Aloysius, Capell. expos. in Trnje.
 „ „ Dr. Žitnik Ignatius, beneficiatus ad S. Nicolai Labaci.

VIII.

- R. D. Barle Joannes, Cooperator in Tržič.
 „ „ Bernik Franciscus, Cooperator in Vrhnika.
 „ „ Bešter Joannes, Cooperator in Cerklje pri Kranju.

- R. D. Čadež Antonius, Catecheta in schola puell. in monasterio Monialium St. Ursulae in Škofja Loka.
- „ „ Erzar Franciscus, Cooperator in Križevo pri Kostanjevici.
- „ „ Ferjančič Franciscus, Cooperator ad Sti Jacobi Labaci.
- „ „ Hybašek Adalbertus, Cooperator in Kranj.
- „ „ Dr. Jerše Josephus, Vicarius chori ad eccl. cathedr. Sti Nicolai Labaci.
- „ „ Kalan Jacobus, Cooperator in Zagorje.
- „ „ Kalan Joannes, Vicarius chori ad eccles. cathedrali Sti Nicolai Labaci.
- „ „ Kimizec Franciscus, Cooperator in Grad.
- „ „ Knižek Felix, Cooperator in Sostro.
- „ „ Koechler Victor, Cooperator ad Sti Joannis B. in Trnovo, Labaci.
- „ „ Kolbezen Leopoldus, Cooperator in Dolenja Vas.
- „ „ Kralj Franciscus, Cooperator in Jesenice.
- „ „ Lomšek Joannes, Cooperator in Žužemberk.
- „ „ Oranič Franciscus, Cooperator in Trnovo.
- „ „ Pavšič Franciscus, Cooperator in Preserje.
- „ „ Poljšak Antonius, Cooperator in Naklo.
- „ „ Porenta Casparus, Cooperator in Stopiče.
- „ „ Potokar Josephus, Benefic. cur. in Šmartno pri Litiji.
- „ „ Ramoveš Jacobus, Capell. quiescens in Primskovo.
- „ „ Sever Franciscus, Cooperator in Selca.
- „ „ Skubic Antonius, Cooperator in Cirknica.
- „ „ Smolnikar Lucas, Vicarius chori ad eccles. cathedr. Sti Nicolai, Labaci.
- „ „ Volc Aloysius, Cooperator in Mirna.
- „ „ Vrhovec Franciscus, Cooperator in Leskovec.
- „ „ Zaplotnik Ignatius, Cooperator in Škofja Loka.
- „ „ Zega Franciscus, Cooperator in Št. Vid pri Zatičini.
- „ „ Zupančič Franciscus, Cooperator in Črnomelj.
- „ „ Žust Jacobus, Cooperator in Radeče pri Zidanem Mostu.
- „ „ Žužek Franciscus, Coop. in Št. Vid nad Ljubljano.
- „ „ Žvan Franciscus, Cooperator ad Sti Jacobi, Labaci.

IX.

- R. P. Gabriel Rüttimann, Prior in Abbatia Ord. Cisterciensis in Zatičina.
- „ „ Ottocarus Aleš, O. Fr. M., Guardianus Conventus in Novo Mesto.
- „ „ Josephus Bizavičar, O. Fr. M., Superior Hospitii in Brezje.
- „ „ Hieronymus Knoblehar, O. Fr. M., Lector Theol. in Kamnik.
- „ „ Angelus Mlejn timer, O. Fr. M., Lector Theol., Guardianus Conventus in Kamnik.
- „ „ Alphonsus Maria Vakselj, O. Fr. M. Cap., Guardianus Conventus in Krško.
- „ „ Donatus Zupančič, O. Fr. M. Cap., Guardianus Conventus in Škofja Loka.
- „ „ Thomas Lempl, S. J., Superior Residentiae, Labaci.
- R. D. Franciscus Javšovec, Congreg. Miss. S. Vinc. a P., Superior donus Congr. Labaci.
- R. P. Bernardus Polak, Equestr. Ordin. Teuton., Subprior Conventus Labaci.
- R. D. Aloysius Kovačič, Sacerdos Piae societatis Salesianae Labaci.

Nota. Synodo, prouti ex hoc elencho patet, sacerdotes 373 interfuerunt.



Index rerum.

Indictio Synodi dioecesanae	III
--	------------

Rerum gestarum brevis relatio.

I. Quae acta sunt ante Synodum	XI
II. Acta primae Congregationis generalis	XII
Allocutio salutatoria episcopi	XII
Decretum de officialibus Synodi	XVIII
Conspectus materiae	XIX
Examinatores ordinandorum	XXI
Telegrammata et responsa	XXII
III. Acta primae Sessionis publicae	XXIV
Examinatores promovendorum ad be- neficia curata	XXVI
IV. Acta secundae Congregationis generalis	XXVI
Testes synodales	XXVIII
Judices in partibus	XXVIII
Judicium ecclesiasticum	XXVIII
V. Acta secundae Sessionis publicae	XXIX
VI. Acta tertiae Congregationis generalis	XXX
VII. Acta quartae Congregationis generalis	XXXII
VIII. Acta quintae Congregationis generalis	XXXIV
IX. Acta tertiae et ultimae Sessionis publicae	XXXIX
Allocutio finalis episcopi	XXXIX

Constitutiones Synodi dioecesisanae.

Introductio	1
-----------------------	---

Titulus I.

De fide catholica	2
-----------------------------	---

Cap. I.

<i>De periculis fidei</i>	2
-------------------------------------	---

Cap. II.

<i>Media contra fidei pericula</i>	4
--	---

Titulus II.

De educatione iuventutis	5
------------------------------------	---

Cap. I.

<i>De principiis educationis</i>	5
§. 1. de natura hominis	5
§. 2. de periculis perversionis	6
§. 3. de mediis salutis	7

Cap. II.

<i>De prima educatione domestica</i>	9
§. 1. de initio educationis	9
§. 2. de educatione ab incunabulis	10

Cap. III.

<i>De ulteriori educatione in schola</i>	12
§. 1. de catechismo tradendo	12
§. 2. de prima confessione	15
§. 3. de prima communione	17
§. 4. de variis piis exercitiis ad educationem aptis	20
§. 5. de educatione domestica hoc tempore con-	
tinuanda	22

Cap. IV.

<i>De educatione schola absoluta</i>	23
§. 1. de periculis christianae iuventutis	23
1. Propria voluntas et superbia	23
2. Intemperantia	24
3. impudicitia	24
4. pravi socii	25
5. aversio ab ecclesia	25
§. 2. de remediis contra pericula	26
1. finis obtinendus	26
2. associationes pro excolendis iuvenibus	27
3. congregationes Marianae	28
4. associationes pro discipulis et adiutoribus opificum	30
5. cassae parsimoniales	31
6. cura parentum	31

Cap. V.

<i>De cura pro nupturientibus</i>	33
§. 1. de sponsalibus	33
§. 2. de nuptiis	35

Titulus III.

<i>De vita domestica, sociali et politica fidelium</i>	36
--	----

Cap. I.

<i>De consociatione a sacra Familia</i>	37
§. 1. de fine huius consociationis	37
§. 2. de regulis istius consociationis	37
§. 3. de indulgentiis huius consociationis	40

Cap. II.

<i>De oratione domestica</i>	42
§. 1. de communi oratione domestica	42
§. 2. de oratione matutina	43
§. 3. de oratione vespertina	44
§. 4. de salutatione angelica	44

§. 5. de oratione ante et post mensam	44
§. 6. de domo christianae familiae	45

Cap. III.

<i>De sanctificatione dierum festivorum</i>	45
§. 1. de gravitate obligationis	45
§. 2. de abusibus	46
1. cauponae	46
2. saltationes	47

Cap. IV.

<i>De frequentia sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae</i>	50
§. 1. de fructu et necessitate horum Sacramentorum	50
§. 2. de usu horum Sacramentorum	51

Cap. V.

<i>De mediis ad vitam christianam</i>	54
§. 1. de cultu Ss. Eucharistiae	54
§. 2. de cultu Ss. Cordis Jesu	56
1. Enunciatio Jesu Christi	57
2. Cultus Ss. Cordis in nostra dioecesi .	57
§. 3. de societate ab Apostolatu orationis	58
1. Finis et organizatio in genere	58
2. Explicatio trium graduum	61
3. Indulgentiae	64
§. 4. de cultu B. Virginis Mariae	65
1. devotio mensis Mai	66
2. devotio mensis Octobris	67
§. 5. de Sodalitate a Ss. Rosario	69
1. Virtus huius Sodalitatis	70
2. Organizatio Sodalitatis	73
3. Indulgentiae	76
4. Desiderium	76
§. 6. de tertio Ordine S. Francisci	77
1. Lex huius Ordinis	79
2. Indulgentiae et Privilegia	81
§. 7. monitum	83
§. 8. missiones populares	84

Cap. VI.

<i>De intemperantia</i>	85
§. 1. de causis intemperantiae	85
§. 2. de remediis contra intemperantiam	86

Cap. VII.

<i>De variis statibus et vocationibus</i>	88
§. 1. de differentia statuum	88
§. 2. de valore laboris	89
§. 3. de cura pro variis statibus	90
1. agricolae	90
2. famuli	92
3. operarii	95
4. reliqui status	97

Cap. VIII.

<i>De cura pro emigrantibus</i>	98
§. 1. de mediis generalibus	99
§. 2. de cura pro emigrantibus in Americam	99
§. 3. de cura pro operariis in Germania	101

Cap. IX.

<i>De libris et ephemeridibus</i>	101
§. 1 de societate catholica typographica	102
§. 2. de edendis et divulgandis libris atque variis foliis	103
§. 3 de bibliothecis parochialibus et lectoriis popularibus	104
§. 4. de prohibitione librorum	106
1. prohibitio lege naturali	106
2. prohibitio lege positiva	107
3. prohibitio librorum in specie	109
4. poenae in transgressores statutae	113
5. monita	113

Cap. X.

<i>De vita nationali et politica fidelium</i>	114
§. 1. de vita nationali	115
1. iura nationis	115
2. principium nationalismi	117
§. 2. de iuribus constitutionalibus	119
1. systema constitutionale	119
2. electio deputatorum	123
3. societas catholico-politica Carnioliae	125
§. 3. de congressibus catholicis	126

Titulus IV.

<i>De educatione et vita tum privata tum pasto- rali Clericorum</i>	127
---	-----

Cap. I.

<i>De Seminariis Clericorum</i>	128
§. 1. de Seminario minore	131
§. 2. de Seminario maiore	134
1. educatio ascetica	134
2. institutio theologica	135
3. ordinum susceptio	136

Cap. II.

<i>De pietate sacerdotis et mediis, quibus pietas fovetur</i>	136
---	-----

Cap. III.

<i>De virtutibus quam maxime necessariis</i>	140
§. 1. de virtute castitatis	140
§. 2. de sobrietate	142
§. 3. de delectationibus saecularibus prohibitis	144
§. 4. de negotiis saecularibus clero prohibitis	145
§. 5. de habitu clericali	146
§. 6. de studio litterarum	148
§. 7. de obedientia canonica	150

Cap. IV.

<i>De quibusdam principalioribus officiis sacerdotum . . .</i>	152
§. 1. de sacerdote qua confessario	153
§. 2. de sacerdote qua concionatore	156
§. 3. de sacerdote qua catecheta	159
1. distributio materiae catechismi	159
2. quaedam principia generalia	164
3. monita et statuta	164
§. 4. de sacerdote in vita politica	165
§. 5. de sacerdote in vita sociali	169

Cap. V.

<i>De collatione munerum ecclesiasticorum</i>	171
§. 1. de cooperatore	172
§. 2. de mutua parochi et cooperatoris relatione .	173
§. 3. de modo conferendi beneficia curata . .	176
1. observationes generales de modo procedendi	176
2. observationes generales de concursu parochiali	177
3. examen quoad scientiam theologicam .	178
4. examen quoad ceteras competentium qualitates	182
§. 4. de examine ad obtinendum munus catecheticum	183
§. 5. de parochio	184
1. de cognitione ovium	185
2. de vigilantia pastorali	186
3. de residentia	187

Cap. VI.

<i>De variis conferentiis sacerdotum</i>	188
§. 1. de conferentiis decanorum	188
§. 2. de conferentiis pastoralibus	189
§. 3. de conferentiis Sodalitatis	193
1. observationes historicae	193
2. finis Sodalitatis	194

3. regulae Sodalitatis	195
4. organizatio Sodalitatis	197
5. conferentiae Sodalitatis	197
§. 4. de conversatione sacerdotum praeprimis con- terminorum	199

Cap. VII.

<i>De visitatione canonica</i>	200
§. 1. de decano et visitatione decanali	201
1. officia et iura decanorum	201
2. ordo visitationis	205
3. obiectum visitationis	207
§. 3. de archidiacono et visitatione archidiaconali	208
1. archidiaconatus	209
2. officia archidiaconorum	209
3. visitatio archidiaconalis	210
§ 3. de episcopo eiusque visitatione canonica	210
1. necessitas visitationis	210
2. obiectum visitationis	212
3. praeparatio ad visitationem canonicam	214
a) praeparatio ad confirmationem	215
b) praeparatio ad visitationem	217
4. ordo in visitatione observandus	217
<i>Conclusio</i>	220
<i>Approbatio</i>	221

Catalogus eorum, qui Synodo dioecessanae interfuerunt 223—235





9
NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS



00000320609







FR. BREŠKVAR
KNJIGOVEZNIČA

